

INSTITUTIONES

PHILOSOPHICÆ

AUCTORITATE

D. D. ARCHIEPISCOPI LUGDUNENSIS

AD USUM

SCHOLARUM SUÆ DIŒCESIS EDITÆ

TOMUS TERTIUS

METAPHYSICÆ PARS II.

SIVE TOMI II. SECTIO II.

***

**

BASSANI

TYPIS REMONDINIANIS

MDCCCXVII.

INDEX

SECTIONIS SECUNDÆ TOMI SECUNDI.

DISSERTATIO II.

CA-

PARS II. PNEUMATOLOGIÆ.

DE SPIRITU CREATO.

DISSERTATIO PRIMA.

DISSERTATIO II.

INSTITUTIONES

PHILOSOPHICÆ.

PNEUMATOLOGIA

PARTIS PRIMÆ

DISSERTATIO II.

DE ATTRIBUTIS DIVINIS.

Quodnam sit attributum Dei primarium, a quo cetera omnium, tanquam rivuli a fonte, deriventur, investiganti statim illud occurrit quo dicitur *Ens a se*, Entisque plenitudo. Hinc magnificæ illæ voces, tum Dei ad Moysen, *Ego sum qui sum*, tum Moysis ad Israelitas, *Qui est, misit me ad vos*. (*Exod.* 4.) Quem in locum sic egregie notat Fenelon: *Quand Dieu envoie Moïse avec tant d'autorité pour prononcer son nom, & pour déclarer ce qu'il est, Moïse ne dit point : Celui qui est Esprit, m'a envoyé vers vous. Il dit, celui qui est. Celui qui est, dit infiniment davantage que celui qui est Esprit ; (puisque le dernier est déterminé à un genre d'être particulier, au lieu que le premier exprime la plenitude de l'être). Dieu, sans dout, est Esprit, car il est incorporel, & souvrainement intelligent ; mais il est plus qu'Esprit, & plus parfaitement Esprit, que nous ne pouvons le concevoir ni l'exprimer*. (*Demonstr. de l'exist. de Dieu*. 2. *part.*)

Præterea rationem existendi a se primarium esse Dei attributum patet, quia ultimum est responsum quod afferri possit interroganti, cur Deus ceteras omnes habeat perfectiones. Si enim quæres cur Deus sit æternus, immensus,

immutabilis, uno verbo summe perfectus, ultimo respondebitur, quia *existit a se*, id est, ex necessitate suæ naturæ, ac proinde nullam agnoscit causam, quæ ipsius perfectionibus limites constituere potuerit.

Nunc perfectiones divinæ, quæ ex primario illo attributo, tanquam a fonte, scaturiunt, undecim in capitibus sunt expendendæ. 1. erit de unitate; 2. de *independentia* & omnipotentia. 3. de intelligentia, sapientia & beatitudine; 4. de sanctitate, bonitate, justitia & *veracitate*; 5. de simplicitate; 6. de immensitate; 7. de æternitate; 8. de immutabilitate; 9. de libertate; 10. de scientia; 11. de Providentia divina.

CAPUT PRIMUM.

De unitate Dei.

Quamvis unicum esse Deum demonstret sola ratio naturalis, splendidam tamen hanc veritatem non pauci impugnarunt. 1. Quidem Gentiles, quorum tanta fuit in Diis multiplicandis insania, ut Hesiodus, quem nongentis circiter ante Christum annis vixisse ferunt, triginta jam tum recensuerit Deorum millia. Omne ferarum genus, imo & ipsa hortorum legumina divinis honoribus prosequebantur Ægypti, de quibus lepide ait Juvenalis:

Porrum & cepe nefas violare, ac frangere morsu:
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

2. Inter Christianos, quod vix credibile est, nonnulli existere Hæretici, nempe Manichæi, qui duo finxerint rerum Principia æterna, quorum alterum omnis boni, & alterum omnis mali causa esset.

PROPOSITIO I.

Unicus est Deus.

Prob. 1. Deus est Ens necessarium; atqui unicum est Ens necessarium. Namque sibi perfecte sufficit, ac proinde non indiget alterius consortio: si non indigeat alterius consortio, non repugnat illud solum existere: si non repugnet illud solum existere, cetera, præter ipsum, entia possunt non existere: si alia, præter ipsum, entia possint non existere, jam non sunt necessaria: si cetera, præter ipsum, entia non sint necessaria, unicum est Ens necessarium; ergo a primo ad ultimum, unicum est Ens necessarium, ac proinde unicus Deus.

Prob. 2. Si multiplex sit Deus, vel unus pendebit ab alio, vel non: Si primum, qui pendet ab altero, non est Deus. Quis enim eum dixerit Deum, qui alteri subjicitur? Si secundum, nullus erit Deus, quia nullus erit altero superior, nec proinde summe perfectus; siquidem inter perfectiones principem locum habet supremum in res omnes dominium.

Prob. 3. Vel unus e pluribus Diis ad mundum creandum sufficit, vel necesse est ut alibi in operis partem veniant. Si unus sufficiat, jam potuit mundus sine aliorum subsidio, imo & ipsis otiantibus, existere. Quis autem eum appellaverit Deum, sine quo mundus creari potuit? Si autem unus non sufficiat, nonne limitatam habet potestatem, cum aliorum opera indigeat? nec proinde est Deus.

PRO-

PROPOSITIO II.

Duplex non est principium æternum, sive duplex Deus, alter boni, & alter mali author, ut impie finxerunt Manichæi.

Prob. 1. Nomine Dei intelligunt omnes Ens summe beatum: atqui duo Manichæorum Principia non essent summe beata. Enim vero mutuas æternasque exercerent inimicitias. Principium boni totis viribus ad bona, Principium autem mali omni conamine ad mala sese ferret. Alterum mala, alterum bona, quantum in se esset, impedire niteretur; neque tamen hoc mala, neque illud bona posset depellere; utriusque igitur vota vana forent & irrita, turbaretur utriusque felicitas. Plus dico, entium omnium miserrima essent ambo Manichæorum Principia. Torquerent mala Principium bonum, cruciarent bona Principium malum: cum autem æterna essent & immortalia, nihil ipsis sperandum foret, præter æternam desperationem.

Prob. 2. Ea principia rejicienda sunt, quæ cum experientia stare nequeunt: atqui hujusmodi sunt Manichæorum duo Principia. Apud omnes enim constat in mundo bona esse admista malis, & mala bonis: atqui in hypothesi Manichæorum stare in mundo non posset hæc bonorum & malorum commistio; siquidem vel unice bonum; vel unice malum, vel neutrum in mundo exstaret. Enim vero duo Principia quæ fingunt Manichæi, vel æqualis sunt virtutis, vel inæqualis: atqui si prius, tunc neque bonum, neque malum erit in mundo; si vero posterius, tunc vel unice bonum, vel unice malum obtinebit.

1. Quidem si virtute sint paria, neque bonum, neque malum erit in mundo. In illa quippe hypothesi Principium boni totis viribus in bonum,

num, & Principium mali totis etiam viribus in malum invehendum niteretur: atqui vires æquales & oppositæ sese mutuo elidunt, & stant in æquilibrio; ergo 1. si duo Manichæorum Principia sint potestate æqualia, tunc neque bonum, neque malum erit in mundo.

2. Si inæqualia sint, aut unice bonum, aut unice malum in orbe existet. Nam vel Principium boni prævalebit, vel Principium mali: si prius, tunc unice bonum aderit in mundo, nullumque relinquetur mali vestigium: si posterius, tunc unice malum grassabitur, nullusque supererit bono locus: ergo in Manichæorum hypothesi non essent bona mista malis, & mala mista bonis; ergo non potest cum experientia quotidiana conciliari; ergo, &c.

Nec dicat Baylius hæc duo Principia in illud mutuo consensisse, ut unum in gratiam alterius aliquid de suo jure remitteret. Absurdissimum quippe est hoc fœdus; 1. quia cum illorum Principiorum natura pugnat, siquidem alterum ad bonum, & alterum ad malum ex naturali & necessario impetu fertur. 2. Quia si Principium summe bonum in illud consentire possit, ut mala in mundo existant, opus minime esset ad Principium summe malum confugere, ad explicandam mali originem. 3. Juxta ridiculum illud pactum, Principium boni plus de jure suo cessisset in gratiam alterius; virtus enim rara est in terris, & vitium frequens. Quis autem concipiat Principium summe bonum ita fuisse sui oblitum, ut sponte jus suum maxima ex parte abjecerit, & quidem in gratiam Principii summe mali, cui ex necessitate naturæ suæ adversatur?

PRO-

PROPOSITIO III.

Malum cujuscumque generis sub unico Ente summe perfecto consistere potest.

Prob. Triplicis generis malum a Philosophis distinguitur, scilicet malum naturæ, quod dicitur *metaphysicum*; malum morale, sive peccatum; & malum pœnæ, quod *physicum* nuncupatur: atqui triplex illud malum sub unico Ente summe perfecto consistere potest.

Prob. 1. pars. In eo situm est malum metaphysicum, quod creatura quælibet magis vel minus a summa perfectione deficiat; atqui non possibile tantum, sed etiam necesse est ut creatura quælibet a summa perfectione plus minusve distet. Repugnat enim creatura Deo æqualis: jam vero creatura infinite perfecta, Deo esset consimilis; ergo necesse est ut creatura quælibet, &c. ac proinde malum *metaphysicum* sub unico Ente infinite perfecto consistere potest.

Prob. 2. pars: Duæ tantum fingi possunt causæ, propter quas sub Ente infinite perfecto consistere non possent mala moralia, nimirum vel quia eorum permissio sanctitatem divinam commacularet, vel quia cum bonitate divina pugnaret: atqui neutrum dici potest.

1. Quidem dici nequit malorum moralium permissione divinam sanctitatem aliqua labe infici; tum quia in Deo non sunt, verum in creaturis; tum quia Deus propter ordinis amorem quem exuere non potest, impunita non relinquet peccata, sed ea pœnis afficiet, vel in præsenti, vel in altera vita; ergo 1. &c.

2. Perperam quoque diceretur a divina bonitate alienam esse malorum moralium permissionem. Si enim pugnaret cum bonitate divina, maxime quia, ea illæsa, non potuisset Deus homi-

mini libertatem concedere ad bonum & malum flexibilem: atqui illud falsum est; Deus quippe, salva bonitate sua, id poterat homini conferre, quod bonum est in se, atque in mente concedentis: atqui libertas est aliquid bonum tum in se, siquidem per eam comparari possunt merita, quibus æternum destinatur præmium; tum ratione consilii, quod habuit illius dator Deus. Libertatem enim homini non concessit, ut eam in pravos usus detorqueret, unde peccator fieret & infelix: sed potius ut, libera voluntatis electione, naturæ rationali maxime accommodata, Legem divinam observaret, atque ita felicitatem æternam consequeretur; ergo libertas est aliquid boni tum in se, tum in consilio Dei eam concedentis; ergo potuit Deus illam homini inserere, ac proinde nihil a divina bonitate alienum habet malorum moralium permissio; aliunde eadem divinam sanctitatem non commaculat; ergo mala moralia sub unico Ente infinite perfecto locum habere possunt.

Prob. 3. pars. Possunt etiam mala physica, nempe dolores & morbi, post commissum peccatum, sub Ente summe perfecto consistere. Illud enim sub Ente summe perfecto existere potest, ex quo plurima in hominem derivatur utilitas: atqui ex malis physicis, nimirum doloribus, morbis, plurima, &c. efficiunt quippe ut a cupiditatum servitute sese eximat, ut a peccatorum maculis sese abstergat, ut rerum sensibilium amore minus detineatur, ut tandem ad Deum veræ felicitatis fontem magis accedat. Veritatem hanc agnovit inter Ethnicos Plinius, Epistolarum elegantia & concinnitate notissimus: *Quem infirmum*, inquit, *aut avaritia aut libido sollicitat? non amoribus servit, non appetit honores, opes negligit; & quantulumcumque, ut relicturus, satis habet; tunc Deos, tunc hominem esse se meminit*. (*lib.* 7. *Ep.* 26.) Ergo 3. mala physica sub Ente, &c.

Sol-

Solvuntur objecta ex malis metaphysicis, sive naturæ.

Obj. Si unicum existeret Ens infinite perfectum, a quo regeretur orbis universus, omnes & singuli homines ab ipso easdem acciperent & corporis & animi facultates: apud Deum enim nulla esse debet personarum acceptio: atqui tamen experientia constat, prorsus inæqualem esse facultatum illarum inter homines distributionem; ergo non ab unico Ente summe perfecto regitur orbis universus.

Resp. Neg. maj. 1. Enim Deus est supremus donorum suorum dominus; proinde nostrum non est statuere quousque patere debeant externi divinæ bonitatis effectus, aut quem perfectionis gradum creaturis conferre teneatur: imo potius confitendum est, prorsus liberum & gratuitum esse divinæ benignitatis exercitium. Quemadmodum igitur Deus potuit minus perfectionis dare lapidibus quam plantis, minus plantis quam brutis animantibus, minus brutis quam hominibus, minus tandem hominibus quam Angelis; ita etiam potuit, in eodem genere naturæ v. gr. hominibus inæqualiter corporis ingeniive facultates dispensare.

2. Homines, quibus parcius dispertitæ sunt quædam corporis vel animi dotes, in ea privatione quam fortasse deplorant, majorem invenire possunt securitatem. Hinc enim, si sapiant, continget ut vel a plurimis liberentur periculis, vel ampliorem virtutum, ac proinde meritorum, copiam sibi comparent, vel minus severam Deo rationem reddituri sint, divina id permittente Providentia per modum compensationis & solatii.

3. Denique hæc facultatum inæqualitas id habet utilitatis, ut homines secum invicem arctissimis mutui auxilii vinculis devinciantur, sicque finem suum assequatur divina Providentia, quæ crea-

creaturas rationales ad societatis statum destinavit; ergo sub unico Ente summe perfecto stare potest inæqualis ista facultatum distributio.

Instab. Saltem nulli homines quibusdam corporis aut animi dotibus, ad suæ naturæ perfectionem vel integritatem, pertinentibus v. gr. rationis usu fraudari debuissent; quod tamen non semel contigit; ergo non unicum existit Ens infinite perfectum, a quo regatur orbis universus.

Resp. Neg. ant. 1. Enim effectus illi naturales habendi sunt veluti legum generalium consectaria, quarum simplicitati derogare non vult divina Providentia. Deus quippe, ut provisor generalis, præcipuam universitatis curam habet, neque paucorum gratia tenetur ordinem generalem per miraculum suspendere.

2. Quosdam homines in furorem aut amentiam verti permittit Deus, ut quantum ab ipso pendeant ceteri noverint, & infirmitatis suæ admoneantur; ut discant rationis aliarumque facultatum usum, non debiti, sed mutui titulo sibi concessum fuisse. His autem, qui casu quodam improviso & repentino usum rationis amittunt, Deus non magis injuriam facit, quam si eos morte tolleret, utrinque enim nullus superest merito vel *demerito* locus.

3. Denique isti defectus, qui in nonnullis individuis occurrunt, locum non habuissent, nisi a primævo innocentiæ & felicitatis statu natura humana deturbata fuisset; Deum vero hunc generis humani lapsum permittere potuisse ex dicendis constabit.

Solvuntur objecta ex malis moralibus.

Objicies 1. Sub Deo, sive Principio summe bono, explicari nequit origo peccati; ergo admittendum est principium summe malum, a quo peccatum fuerit invectum.

Resp. 1. Neg. ant. Non aliunde enim quam a vo-

voluntate humana repetenda. est peccati origo. Nihil quippe aliud est peccatum, quam libera Legis divinæ transgressio: atqui voluntas humana libere divinam Legem infregit. Deus scilicet summe bonus homini libertatem concessit, quam homo suam in perniciem vertit, obsequium suo debitum authori insolenter denegando; ergo per voluntatem humanam peccatum irrupit in mundum, nec proinde ad explicandam illius originem necesse est ad Principium summe malum confugere. Quinimo si admitterentur duo Manichæorum Principia; hæc de peccati origine quæstio prorsus inextricabilis esset, ut liquet ex iis quæ in probatione diximus.

Resp. 2. Neg. conseq. Etiamsi enim peccati originem sub unico Principio summe bono explicare non possemus, perperam concluderetur admittendum esse principium summe malum, a quo invectum fuerit peccatum. Nam 1. Entis infinite perfecti unitatem demonstravimus. Jam vero prohibet recta ratio, ne clara & accurate demonstrata rejiciantur, quia explanari non possunt quædam obscura. 2. in Manichæorum sententia non felicius explicatur malorum moralium origo. Semper enim remanet difficultas insolubilis, quare scilicet Principium bonum Principio malo, cui naturæ suæ necessitate adversatur, tantum potestatis concesserit. An quia principium bonum non potuit meliorem rerum ordinem instituere? ergo neque beatum est, neque omnipotens; non beatum, quia finem suum non assequitur; non omnipotens, siquidem ejus potestas ferrea quadam & insuperabili necessitate constringitur.

Inst. 1. Responsum mox datum supponit Deum potuisse condere hominem liberum, ad bonum & malum flexibilem: atqui id non potuit Deus; ergo vana est responsio.

Resp. Neg. min. 1. Quia Deus potuit a nonnullis creaturis obsequium liberum exigere: atqui ad illud obtinendum debuit creaturas liberas pro-

procreare. 2. Quia, posita libertate, poterat homo peccatum semper effugere & virtutem prosequi, sicque æternam felicitatem promereri; libertatis igitur concessio nullam infert homini injuriam, nec Deo indigna est.

Instab. 2. Qui tenetur omne peccatum impedire, non potuit hominem condere liberum, ad bonumque aut malum flexibilem: atqui Deus, pro sua sanctitate & bonitate, tenetur peccatum impedire; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Quoad utramque partem: 1. quidem sanctitas Dei hoc unum exigit, ut nullius peccati author sit & causa: atqui, licet Deus peccatum omne non impediat, non tamen illius author est vel causa; tum quia hominem in eo statu constituerat, in quo potuisset ab omni peccato abstinere, si voluisset; tum quia peccatum gravissimis sub pœnis prohibet, commissumque, & non expiatum, plectit: ergo 1. nulla sanctitatis suæ lege ad depellendum omne peccatum adstringitur; 2. nec bonitate sua, quæ non minus infinita est, sive plura, sive pauciora creaturis beneficia conferat. Si enim ex datis muneribus novus aliquis gradus divinæ bonitati accederet, Deus necessario conferret hominibus quidquid boni posset in eos effundere: atqui illud absurdum est.

Instab. 3. Probando primam partem minoris; Deus, pro sua sanctitate, necessario peccatum odit: ergo tenetur illud impedire, quantum in se est.

Resp. Neg. conseq. Quamvis enim Deus necessario peccatum oderit, inde colligi non potest eum teneri omne peccatum depellere, sicut ex eo quod virtutem amet necessario, non licet concludere eum teneri efficere, ut omnia virtutis & pietatis opera existant. Ratio est, quod summum peccati odium in Deo non sit efficax illud impediendi voluntas, sed maxima illius improbatio; quemadmodum amor, quo Deus omnia vir-

virtutis opera prosequitur, efficax non est voluntas, qua statuerit ut existerent, sed eorum approbatio.

Instab. 4. probando secundam minoris partem: Deus ita est summe bonus, ut nihil eo melius concipi queat: atqui nisi peccatum omne impediret, aliquid eo melius conciperetur, nempe Principium a quo nihil mali permitteretur; ergo Deus, prô sua bonitate, debet omne malum impedire.

Resp. Neg. min. Aliud enim est interna Dei bonitas, & aliud ejusdem exercitium, sive externa manifestatio. Fatemur Deum omne peccatum non impediendo, totam suam bonitatem exterius non manifestare, sicut nec mundi creatione totam suam exeruit potentiam; siquidem mundum eo qui nunc existit perfectiorem condere potuit; quemadmodum igitur, si internam Dei potentiam spectes, nihil eo potentius concipitur, quamvis summæ illius potentiæ exercitium majus excogitari possit; ita si intimam Dei bonitatem consideres, eo nihil fingi potest melius, quamvis externum illius bonitatis exercitium majus esse & concipi queat. Deus enim nova & ampliora posset homini beneficia conferre. Porro suam benignitatem, sicut & potentiam, magis aut minus, pro suo arbitrio exercet, nec tenetur omnibus donis possibilibus hominem cumulare, nec proinde privilegium non peccandi ei concedere.

Et certe illud argumentum non valet, ex quo sequeretur necessaria finitam esse Dei bonitatem: atqui necessario finita est, si ab externis effectibus æstimanda sit. In quocumque enim perfectionis & felicitatis gradu collocetur creatura, semper ulteriorem perfectionis & felicitatis accessionem concipiemus; ergo divina bonitas ab externis effectibus non dijudicanda est.

Instab. 5. Saltem Deus, illæsa sua bonitate interna, non potuit statum libertatis eligere, nisi

pec-

peccatum impediendo, & liberum hominis arbitrium gratiis efficacibus semper ad bonum flectendo.

Resp. Neg. subsumptum: 1. Enim non potest quidem Deus liberi arbitrii abusum sibi proponere; minime vero tenetur illud gratiis efficacibus ad bonum semper flectere, etiam titulo bonitatis. Namque vel Deus, ut agat modo se digno, debet agere secundum omnem suam bonitatem, vel non. Si primum, dum extollitur divinæ bonitatis exercitium, omnino perimitur. Cum scilicet non minus late pateat Dei benignitas, quam ejus potentia, non potest Deus agere secundum totam suam bonitatem, quin agat etiam secundum omnem suam potentiam, quæ nullis circumscribitur limitibus, nec unquam exhauriri potest. Si vero confiteatur Baylius Deum agere modo se digno, quamvis non exerat omnem suam bonitatem; ergo liberum est divinæ bonitatis exercitium; ergo non ideo bonus esse desinit Deus, quia respectu hominis melior esse potest. 2. Si Deus sua bonitate teneatur gratias efficaces concedere, quibus libertatis abusum impediat, quo pejores essent homines, eo melior Deus esse deberet, quod absurdum est. 3. Si Deus sua benignitate obstringeretur ad gratias efficaces hominibus conferendas, non posset, illæsa sua bonitate, eas denegare; necessario igitur illas impertiret, ac proinde jam desinerent esse gratiæ.

Prob. subsumptum: Deus, illæsa sua bonitate interna, non potuit eum statum eligere, in quo prævidebat plerosque homines esse in æternum perituros: atqui Deus prævidebat in statu libertatis, in quo peccatum non impediret, plerosque homines esse in æternum perituros; ergo non potuit, illæsa sua bonitate interna, eum statum eligere.

Resp. Dist. maj. Si æterna hominum pernicies ex vitio status instituti oriatur, conc. si ex perversa hominum voluntate, neg.

Re-

Revera non potuisset Deum eum statum eligere, ex cujus vitio sequeretur maximæ hominum partis damnatio; siquidem Deum optimum dedeceret, hominem in eo statu constituere, cui illata esset ejus pernicies; sed potuit Deus, salva bonitate sua, eum ordinem eligere, in quo prævidebat plerosque homines, ob perversam suam voluntatem, esse perituros & damnandos; quia tunc homo sibi, non Deo, perniciem suam debet imputare. Porro, licet in præsenti statu libertatis hominibus concessæ, Deus peccatum non impedierit, plerique non ex ordinis instituti vitio pereunt, sed propriam ob culpam, & libertatis abusum; quia scilicet, cum possent bene agere, æternamque felicitatem assequi, malunt peccare & damnari.

Quamvis autem ab ordine recedat homo, ne tamen existimes a suis finibus excidere divinam Providentiam. Si enim homo sua pravitate bonum in malum convertit, Deus contra sua sapientia efficit, ut bonum ex malo nascatur: v. g. nisi in Imperio Romano extitissent persecutores & tyranni, suos Christiana Religio non haberet cujuslibet conditionis, sexus, ætatis martyres; caruisset mundus spectaculo, quod Dei gloriam maxime commendavit, & eorum qui Deum, ut par est, diligunt, patientiam & fortitudinem illustravit. Ut autem exemplum longe majus afferamus, nisi in Christum Filium Dei patratum fuisset scelus omnium atrocissimum, peractum non esset redemptionis nostræ opus, quod bonum est omnium maximum; ergo bonum ex malo educit sapientia divina; ergo quamvis homo sua perversitate ab ordine deflectat, non ideo consilia divina suo fraudatur effectu.

Subsumes: Atqui hominum pernicies vitio status præsentis a Deo instituti tribuenda est: res ita se habet, si libertas, cujus certo prænoscitur abusus, nec impeditur, non beneficium sit, sed donum pessimum: atqui libertas, &c.; ergo vitio

tio status præsentis a Deo instituti, merito tribuenda est hominum pernicies.

Resp. Neg. min. Quamvis enim Deus futurum libertatis abusum certo prænoverit, id non obstat quominus libertas verum sit beneficium: hæc quippe præscientia neque in Dei intentionem, neque in hominis malitiam influit. Non ideo enim libertatem homini concessit Deus, quia illius abusum prævidit, nec eadem male utitur homo, quia Deus ipsius abusum præscivit; sed libertatem ex mera sua culpa in malum homo convertit; præsentia igitur se habet ad donum ejusque abusum, quasi nulla esset. Et certe si homo in statu præsenti libertatem ad bonum contulisset, eam juxta Baylium potuisset Deus homini concedere; sed quia non visum est homini libertatem ad bonum flectere, alium ordinem Deus instituere debuit. Numquid igitur ab hominis arbitrio & effectu divina pendebit potentia?

Instab. 6. Libertas, cujus certus est abusus, donum est pessimum; atqui certus erat libertatis abusus, utpote a Deo prævisus; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Illud enim beneficii rationem habet, quod ex natura sua potest accipienti prodesse, nec eo consilio datur, ut in recipientis perniciem vertatur: atqui 1. ea est libertatis homini concessæ natura, ut ipsi prodesse queat; siquidem ex illa meritum suas in actiones derivatur, eaque uti potest homo ad comparandam felicitatem æternam. 2. Libertatem Deus homini ea mente non contulit, ut eam suum in exitium detorqueret; ad eum quippe a peccato deterrendum, adhortationes, suppliciorum comminationem, præmiorum pollicitationem, suasiones internas adhibet Deus; ergo, &c.

Instab. 7. Principium homini infensissimum libentissime illi concederet libertatem, cujus certus esset abusus; ergo hujusmodi libertas non beneficium, sed donum est pessimum.

Resp. Dist. ant. Concederet ea mente ut homi-

mini noceret, conc. ant. ut ipsi prodesset; neg. ant.

Porro Principium homini infensissimum illi quidem concederet libertatem, cujus abusum certo prævideret; sed eo consilio daret, ut eam homo suam in perniciem verteret, ipsaque abutendo fieret graviori supplicio dignus: contra vero creator optimus libertatem homini contulit, ut ea bene utendo æternam felicitatem assequeretur.

Objic. 2. Si, permittente Principio summe bono, peccatum in hunc mundum irrupit, vel noluit illud impedire, vel non potuit: atqui neutrum dici potest. Non quidem 1., alioquin non esset summe bonum; non etiam 2. jam enim non esset omnipotens: ergo peccatum non irrupit in mundum, permittente Principio summe bono; a Principio igitur summe malo invectum est.

Resp. Neg. min. Principium enim summe bonum, sive Deus, potuit peccatum impedire, sed noluit, & quidem illæsa sua bonitate. Nam sua benignitate non tenetur homines iis omnibus beneficiis cumulare, quæ in eos posset effundere, quemadmodum sua potentia non obstringitur ad efficiendum quidquid potest: alioqui debuisset hominem omnibus, quarum est capax, perfectionibus ornatum procreare: atqui nemo illud dixerit: liberum est igitur divinæ bonitatis exercitium, quam Deus magis vel minus pro suo potest arbitrio manifestare; ergo non exigit ut Deus hominis lapsum impediat. Id unum scilicet postulat, ut hominem Deus in eo statu constituerit, in quo peccatum declinare poterat, si voluisset; atqui ita se gessit Deus; ergo, &c.

Instab. Pater, qui posset liberorum suorum perniciem impedire, nec vellet, non haberetur ut pater bonus, & quidem merito; ergo pariter si potuit Deus hominis lapsum exitiumque impedire, & noluit, non censendus est summe bonus.

Resp. Neg. conseq. & parit. 1. Enim pater, cujus objicitur exemplum, habet impositam sibi le-

legem, qua filiorum saluti, quantum potest, consulere jubetur; nulla autem lex Deo necessitatem ponit lapsum hominis impediendi; non quidem lex dilectionis erga seipsum: peccatum enim hominis nihil Dei felicitati summæque perfectioni detrahit: non etiam lex dilectionis erga suas creaturas, cum amor ille non postulet, ut iis quidquid potest, conferat.

2. Ideo pater non haberetur ut bonus filiorumque amans, si cum facile possit, ab iis perniciem non averteret, quia ut ita se gereret, nullis duceretur rationibus sapientissimis: Deus autem lapsum hominis, quem impedire potuisset; permittendo, rationes habet sibi cognitas, suaque sapientia fundatas. *Non dubitandum est*, inquit Augustinus, *Deum facere bene, etiam sinendo fieri quæcumque fiunt male; non enim hoc nisi justo judicio sinit*. (*Enchir. cap.* 95.) Quænam autem sint illæ rationes assequi & explicare non posse humanam intelligentiam, mirum videri non debet: *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Rom.* 11. 34.)

Fatetur ipsemet Baylius, insidiosus ille Manichæismi defensor, ab ideis nostris existimandam non esse Dei bonitatem: *Nos idées naturelles ne peuvent point être la mesure commune de la bonté & de la sainteté divine, & de la bonté & de la sainteté humaine; n'y ayant point de proportion entre le fini & l'infini, il ne faut pas se permettre de mesurer à la même aune la conduite de Dieu & la conduite des hommes*. (*Œuv. de Bayle, tom.* 3. *pag.* 997.)

Solvuntur objecta ex malis physicis.

Objic. 1. Miseriis, incommodis, doloribus numero infinitis obnoxia est hominis conditio: atqui immensa illa miseriarum cohors, sub uno Principio summe bono terris non incubuisset; ergo non unum præfuit hominis constitutioni; sed in partem venit Principium summe malum.

Resp. Neg. min. Principium enim summe bonum potuit illud permittere, ex quo plurima in hominem derivatur utilitas & perfectio: atqui ex miseriis quibus homo subjacet plurima in eum, &c. 1. Quidem ex iis multiplex nascitur utilitas. Ad illud quippe inserviunt, ut homines terram fastidientes, *quæ sursum sunt sapiant*; summumque bonum, quod in solo Deo situm est, totis anhelent præcordiis. Doloribus etiam perficitur virtus, confirmatur fides, spes erigitur, caritas excitatur: atqui hæc omnia sunt homini utilia; siquidem majoribus meritis locum præbent; ergo 1. ex miseriis, quibus homo conflictatur, plura in hominem redundat utilitas.

2. Ex iis maxime nascuntur virtutes & perfectiones; quod sic exponit vir de Religione bene meritus D. Le François: *C'est aux misères qui sont les suites du péché, que doivent leur naissance les plus grandes vertus; la patience dans les souffrances & dans les douleurs, la constance dans les épreuves, la force & le courage dans les persécutions, dans les tormens, la compassion envers les misérables, la libéralité envers les indigens; vertus qui n'auroient point eu lieu dans un autre plan, qui auroit exclu toutes les misères*. Ergo &c.

Objic. 2. Ea sub Ente summe perfecto consistere non possunt, quæ sine ordine, sine justitia decernuntur: atqui mala physica, &c.; sæpe enim contingit ut morbi dolores & aliæ miseriæ, probos & religiosos homines conflictent, dum ab iis malis immunes sunt improbi, & supremi Numinis contemptores; unde plurimi causam arripiunt divinam inficiandi Providentiam; ergo, &c.

Resp. ad 1. Neg. min. ad 2. dist. ant. Sæpe contingit ut, &c.; sed mala physica bonis majoribus compensantur, conc. ant. secus, neg.

Fateor equidem sæpe contingere ut probi & religiosi homines in hac vita gravissimis doloribus & ærumnis vexentur, dum iniqui bonis omnibus

&

& commodis affluunt. Quæ difficultas ut penitus solvatur, observandum est præsentem vitam statum non esse fixum & permanentem, sed probationis statum, qui necessariam cum altera & meliori vita connexionem habet; mala igitur physica, quibus obnoxii sunt viri probi, peccatorum quæ humanæ fragilitati excidunt maculas abstergunt, a terrenis affectibus animos abducunt, cælestis patriæ desiderium accendunt, & pro momentanea & levi tribulatione æternum gloriæ pondus operantur: (2. *Cor.* 4. 17.) Ergo mala physica, quibus exercentur homines probi & religiosi, bonis majoribus compensantur.

CAPUT II.

De summa Dei Independentia, *& Potentia.*

PROPOSITIO I.

Deus est omnino independens.

Prob. Ens illud est omnino *independens*, quod ab alio non pendet sive quoad existentiam, sive quoad existendi modum: atqui ita se habet Deus. 1. Quidem a nullo pendet quoad existentiam, cum ex necessitate suæ naturæ existat; 2. nec quoad existendi modum; ex axiomate enim vulgari, *modus essendi sequitur esse*: atqui Deus nulli alii subjicitur quoad existentiam; ergo nec quoad existendi modum, ac proinde omnino est *independens*.

PROPOSITIO II.

Deus est summe potens.

Prob. Deus sive *Ens a se*, omnium quæ in mundo continentur est creator, ut constat ex dictis

ctis adversus Atheos: atqui creator omnium, quæ in mundo continentur, est summe potens. Creatio enim tantam requirit potentiam, ut major concipi nequeat. Exercetur per modum imperii, *ipse dixit & facta sunt: ipse mandavit & creata sunt*. (*Psalm.* 32. 9.) Actio creatrix nullum supponit subjectum, in quod vim suam exerat: atqui hujusmodi actio tanta est, ut major excogitari non possit. In ceteris enim operationibus aliquid existit subjectum ad aliquem effectum conspirans, & in quod agit vis operantis; ergo creatio eam demonstrat potentiam, qua major concipi non potest; ergo Deus, cum sit omnium creator, summe est potens.

CAPUT III.

De intelligentia, Sapientia & Beatitudine divina.

PROPOSITIO I.

Deus est summe intelligens & sapiens.

Prob. Ens a quo derivatur quidquid est in creaturis rationalibus intelligentiæ & sapientiæ, utramque in eminentiori gradu complectitur: atqui omnis creaturarum rationalium intelligentia & sapientia a Deo dimanat; siquidem eas creavit, ut probavimus; ergo utramque in gradu longe excellentiori habeat necesse est. Hinc sic monet Apostolus: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter.* (*Jacob* 1. 5.)

Et vero ens illud est summe intelligens, & sapiens, quod suis operibus mirabiles impressit intelligentiæ & sapientiæ characteres: atqui splendida utriusque indicia passim occurrunt & emicant in Dei operibus, idest, in orbe universo ut

ut ex iis compertum est, quæ adversus Atheos exposuimus. *Ouvrez les jeux*, inquit D. Le François, *que voyez vous dans l'univers, si vous ne remarquez pas une intelligence suprême dans ses ouvrages? Est ce un ouvrier borné dans ses vues, qui a rassemblé tant de pieces diverses, qui les a unies les unes aux autres; qui a établi entr' elles une telle dépendance, que la soustraction de l'une rendroit les autres inutiles? Car retranchez le soleil, la nature entiere est engourdie & glacée; ôtez l'air, il n'y a plus ni vapour, ni pluie, ni végétation, ni respiration; applanissez les montagnes, vous faites tarir les fontaines & les rivieres; enlevez le feu de dessus la terre, vous donnez la mort à l'homme, aux plantes, aux animaux. Tant il y a d'harmonie & de dépendance entre les différentes parties de l'univers?*

PROPOSITIO II.

Deus est summe beatus, sibique perfecte sufficit.

Prob. Ille summe beatus est, sibique perfecte sufficiens, qui habet ex necessitate suæ naturæ quidquid perfectionis habere potest: atqui Deus, sive *Ens a se*, &c. Sicut enim eo ipso quod existere potest, necessario existit, ita etiam omnem perfectionem possibilem complectitur; siquidem ex axiomate, *in necessariis a possibili ad actum valet consecutio*. Si enim Ens necessarium actu non contineret quidquid perfectionis habere potest, quo pacto illud consequeretur? an quia posset id sibi dare? sed jam istud possideret, namque ex axiomate, *nemo dat quod non habet*. An quia id posset causa sibi externa recipere? sed ab alio non pendet, & nedum ab alio perfici queat, imo potius ab eo derivatur, quidquid ceteris entibus inest perfectionis; ergo

Deus,

Deus, sive *Ens a se*, ex necessitate suæ naturæ tenet quidquid perfectionis habere potest, ac proinde ex seipso summe beatus est, sibique perfecte sufficiens.

CAPUT IV.

De Sanctitate, Bonitate, Justitia & Veracitate divina.

PROPOSITIO I.

Deus est summe sanctus.

Prob. Ille est summe sanctus, qui ita fertur in bonum morale, ut nulla ratione in malum possit impelli: atqui Deus, sive *Ens a se*, &c. Enim vero, ut summe intelligens, perfecte novit boni malique limites: quatenus summe sapiens, non potest bonum malo non anteponere: quatenus sibi omnino sufficiens, nec spe, nec metu, nec alio quovis incitamento ad malum inclinari potest; ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Deus est summe bonus.

Prob. Ille est summe bonus, qui suas creaturas, præsertim rationales, sciens & volens, nullaque utilitate sibi propria ductus, innumeris cumulat beneficiis; atqui Deus, &c.; quid enim habet creatura, quod ex mera Creatoris liberalitate non acceperit? neque hæc beneficia cæco impetu effundit Deus, siquidem est summe intelligens & sapiens; neque ullo propriæ suæ felicitatis intuitu, cum sibi perfecte sufficiat, sitque ex seipso summe beatus; ergo, &c.

Quis vero, nisi atrociter ingratus, sine memoris animi sensu recogitare possit, quot beneficia no-

nobis contulit Deus in ordine tum naturæ, tum gratiæ. Si naturæ ordinem spectes, dedit nobis vitam, omnesque sive corporis, sive animi facultates, easque jugi virtutis suæ efficacia conservat: dedit naturale lumen quo verum a falso, bonum a malo secerneremus; dedit præterea quidquid boni ab aliis hominibus accepimus; solius enim Dei est beneficam voluntatem inspirare. In ordine gratiæ præsertim elucet divina bonitas: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. (Joan. 3. 16.) Dum autem nobis, licet immerentibus, grande illud donum concedit, *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* (Rom. 8. 32.) in tanti mediatoris gratiam peccatores ad pœnitentiam invitat; dum ad se redeant sæpissime per longam annorum seriem patiens expectat; pœnitentibus autem veniam sincero corde postulantibus misericors indulget. Denique nunc unusquisque nostrum cum vivido grati animi sensu in memoriam revocet, quibus fuerit bonis cumulatus, a quibus malis speciali Dei præsidio & tutela servatus aut liberatus.

PROPOSITIO III.

Deus est summe justus.

Prob. Ille est summe justus, qui perfecte novit justitiæ leges, qui perfecte eas exequi valet; nec ab iis servandis ulla ratione dimoveri potest: atqui Deus justitiæ leges perfecte callet, quia est summe intelligens; eas perfecte exequi valet, quia est summe potens; & ab iis servandis nullo impulsu deterreri nequit, cum sibi omnino sufficiat; ergo, &c.

PROPOSITIO IV.

Deus est summe verax.

Prob. Ille est summe verax, qui nec falli, nec fallere potest: atqui Deus, &c. 1. Quidem falli nequit, utpote summe intelligens; apud omnes enim constat, ideo nos multis erroribus obnoxios esse, quia plura nos latent. 2. Non potest fallere. Cur enim deciperet? an ex ignorantia? at summe est intelligens. An ex improbitate? at summe bonus est. An spe alicujus commodi, aut metu cujuspiam incommodi? sed perfecte sibi sufficit, ac proinde nihil habet optandum vel metuendum; ergo 2. Deus non potest fallere; aliunde nec falli; ergo summe verax est.

CAPUT V.

De simplicitate Dei.

Illud *simplex* dicitur, quod ab omni corporea fæce segregatum est. Dei simplicitatem sustulerunt Gentiles, qui Deos, quos colebant, corporeos esse existimarunt. Circa eamdem veritatem turpiter errarunt *Antropomorphytæ*, sic dicti quod Deo formam & corpus hominis affingerent. Tales fuere IV. sæculo multi e rudioribus Ægypti Monachi, qui verba Scripturæ, quæ Deo vultum, oculos & manus tribuunt, ad litteram accipiebant.

PROPOSITIO.

Deus ita est simplex, ut omnem corporis rationem excludat.

1. Prob. ex dictis. Deus est summe intelligens: atqui nullum corpus, licet tenuissimum, co-

cogitationis est capax, ut postea demonstrabimus. 2. Deus est immensus, ut infra probabitur: atqui nullum corpus est hujusmodi; alioquin omnia repleret loca, e quibus cetera corpora excluderet. 3. Deo nihil majus concipi potest: atqui, quocumque excogitato corpore majus & majus sine fine concipi potest. Quælibet enim corporeæ moles, quamvis ingentissima novam semper magnitudinis accessionem potest suscipere. 4. Ens quodlibet physice compositum, necessario constat partibus distinctis, quarum scilicet una existat seorsim ab alia: atqui Deus, utpote infinitus, non potest coalescere ex partibus a se invicem distinctis. Partes enim illæ nequeunt esse infinitæ; partis quippe nomine intelligitur aliquid, quod toto sit minus. Si vero partes illæ sint finitæ, ex earum complexione conflari non potest totum quoddam infinitum; ergo, &c.

Objic. 1. Ille est corpus, cui Scripturæ tribuunt corporum proprietates, nempe magnitudinem, oculos, brachia, aures: atqui hæc omnia Deo passim tribuunt Scripturæ: ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Cui Scripturæ proprietates corporum tribuunt vere & proprie, conc. metaphoricæ, neg. dist. parit. min.

Hujusmodi locutiones ad litteram proprioque sensu non sunt accipiendæ, sed metaphorice. Cum enim Deus sit spiritus, pauci vero sint homines, qui res ab omni materia secretas animo valeant assequi, Scriptura, ut mentis humanæ imbecillitati sese accommodet, divinas perfectiones sub variis corporis imaginibus exhibet. Sic v. g. per magnitudinem, Dei immensitas; per oculos, scientia cui patent omnia; per manus & brachia, omnipotentia designantur. Ipsa Scriptura nos monet hujusmodi imagines non esse crassiori humanoque sensu intelligendas, *Numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis?* (*Job* 10. 4.)

Objic. 2. ex Genesi. (*cap.* 1.) Homo factus est ad imaginem & similitudinem Dei: atqui homo constat corpore & anima: ergo & Deus.

Resp. Dist. maj. Homo factus est ad imaginem Dei, ratione vel animæ solius, vel dominii quod in ceteras creaturas recepit, conc. ratione corporis, neg.

Ex Patribus enim alii istam hominis cum Deo similitudinem constituunt in nobiliori hominis parte, id est, anima rationali; alii in dominio quod homini in ceteras res creatas concessum est. Namque post ista Genesis verba: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, Deus statim addit, *& præsit piscibus maris, & volatilibus & bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra*. (*Genes.* 1. 26.)

CAPUT VI.

De Immensitate Dei.

Immensitatis nomine intelligitur illud attributum, quo Deus rebus omnibus ac locis sine ullis limitibus præsens esse concipitur. Ex Philosophis Christianis alii docent Deum esse ubique præsentem ratione operationis & virtutis suæ, quæ omnia in omnibus operatur: alii ratione scientiæ, qua scilicet omnia novit; alii denique existimant immensitatem attributum esse, tum a scientia, tum ab omnipotentia divina distinctum, & idcirco Deum esse immensum ratione substantiæ, quæ omnia pervadit & penetrat, iisque intime est præsens.

PRO-

PROPOSITIO.

Deus ratione substantiæ est immensus, sive rebus omnibus ac locis intime præsens.

Prob. 1. Vel Deus est immensus ratione substantiæ, vel ratione suæ operationis & scientiæ duntaxat; atqui duo posteriora dici nequeunt: per immensitatem enim divinam intelligitur attributum a scientia & omnipotentia Dei distinctum; aliud quippe est dicere Deum esse immensum, & aliud dicere eum esse omnipotentem & scientissimum: atqui tamen in eorum opinione qui putant Deum non esse ubique præsentem, nisi quia omnia novit & operatur; immensitas Dei non esset attributum ab ejus scientia & omnipotentia distinctum; ergo non ratione scientiæ & operationis tantum, sed etiam substantiæ, Deus est ubique præsens, ac proinde immensus.

Prob. 2. Deus ubique & in omnibus creaturis operatur, cum iis motum vitamque sufficiat: *In ipso*, inquit Apostolus, *vivimus & movemur & sumus:* (*Act.* 17. 28.) atqui operatio Dei ab ipsius substantia disjungi potest. Ubi enim est operatio, ibi est facultas operans; ubi autem adest facultas operans, ibi est operantis substantia. Præterea operatio Dei ab ejus omnipotentia sejungi non potest; siquidem per eam Deus operatur: atqui omnipotentia Dei ab ejus substantia divelli nequit. Nullibi enim omnipotentia est sine Deo, vel Deus sine omnipotentia: ergo cum Deus ubique per suam operationem adsit, ubique etiam ratione substantiæ sit præsens necesse est; ergo, &c. Theologorum est eamdem veritatem, & Scripturarum, & Patrum auctoritate confirmare.

Objic. 1. Qui propriam sedem habet in Cælo, non est ubique; atqui Deus, &c. ut ipse sic testa-

tatur apud Isaiam: *Cælum sedes mea* (*cap.* 66. *v.* 1.); ergo Deus non est ubique.

Resp. Dist. maj. qui propriam habet sedem in Cælo, exclusis aliis locis, non est ubique, conc. maj. non exclusis aliis locis, neg. maj.

Itaque Deus speciali quodam modo suam in Cælo sedem habere dicitur, quia ibi potentiæ suæ divitias magnificentius explicat; verum non idcirco Deus a ceteris locis abest. Sic enim ipse habet apud Jeremiam: *numquid non Cælum & terram ego impleo?* (*cap.* 23. *v.* 24.)

Objic. 2. Deus non est ratione suæ substantiæ esse ubique præsens, quin adsit in locis maxime sordidis, & in peccatoribus flagitiosissimis: atqui illud divina majestate prorsus indignum est; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Si enim radii solis ex sua puritate nihil amittunt, etiam cum loca fœdissima collustrant & pervadunt; si anima quamvis leproso corpori conjuncta, nullo modo inficiatur; quidni Deus, qui spiritus est, in locis sordidis & in flagitiosis hominibus præsens esse potest, nihilque sordium inde contrahere?

Quæres quo pacto fieri possit ut Deus sit immensus simul & simplex. Si enim substantia ubique præsens adsit, aliquam extensionem habeat necesse est; quomodo autem cum extensione stare potest simplicitas?

Resp. Ut immensitatis naturam exponerent, eamque cum simplicitate divina conciliarent, plurimum laborarunt Philosophi & Theologi; sed parum feliciter. Qua de re diversas in opiniones abeunt Thomistæ & Scotistæ.

Sententia Thomistarum.

Docent Thomistæ Deum non esse quidem extensum instar corporis, ita ut per unam sui partem uni loco, & per aliam alteri loco respondeat; sed ajunt Deum esse *virtualiter* extensum,

quia,

quia, licet simplicissimus, æquivalet pluribus revera distinctis, & diverso in loco positis. Hoc illustrare nituntur exemplo centri sphæræ, quod, licet simplex, inquiunt, omnibus radiis numero infinitis respondet, quia tot punctis æquivalet, quot sunt radii.

Sed responsum illud duobus potissimum vitiis laborat. 1. enim non satis explicatur quid per extensionem *virtualem* intelligendum sit. Nonne idem est, ac si diceretur Deum revera non esse extensum? dum igitur extensionem aliquam in Deo videntur admittere Thomistæ, eam simul rejiciunt. 2. Qui fieri potest ut ens simplicissimum rebus maxime extensis æquivaleat? Centrum sphæræ, quod in exemplum afferunt, ad rem de qua agitur nullo modo pertinet: nam singulos quidem radios terminat, at falso diceretur singulis radiorum partibus præsens.

Sententia Scotistarum.

Scotistæ existimant Deum esse immensum ratione extensionis cujusdam incorporeæ, quam volunt esse spiritibus propriam, & quæ sit locus in quo recipiuntur corpora. Unde, juxta ipsos immensitas divina est rerum omnium locus, quæ extiterunt, existunt, & extitura sunt. Ut opinionem illam adstrueret, plurimum desudavit Daguinerius, cujus placitum ad ista capita revocari potest.

Præter Deum, inquit, non datur quidquam necessarium, æternum, infinitum; ergo si existat extensio necessaria, æterna, infinita, quæ sit locus corporum, ipsa est Dei attributum: atqui 1. datur extensio necessaria, quæ scilicet, destructo quolibet corpore, superstes concipitur. Si enim Deus in nihilum redigeret quæcumque in hac schola continentur, servatis duntaxat in eodem situ muris & tabulatis, patet fore ut a se invicem distarent; ergo inter ea quoddam interce-

cederet spatium, & vera extensio quæ destrui non potest; 1. igitur admittenda est extensio necessaria. 2. Extensio illa æterna est, utpote necessaria; 3. infinita etiam est. Cum enim Deus plura & plura in infinitum posset corpora creare, spatium in quo reciperentur, tanquam infinitum concipitur; ergo datur extensio quædam necessaria, æterna & infinita, quæ non potest non esse Dei attributum, sive ipsius immensitas.

Præterea, juxta Dagumerium, præfata extensio habet *partes extra partes*, minime vero substantia divina cujus est attributum. Nimirum concipi potest eam iteratis vicibus existere in singulis hujus extensionis partibus. Hoc modo Philosophus ille Deum ubique præsentem exhibet; Deus igitur integer toties quasi iteratur, quot sunt immensitatis partes, sicque totus est extra se totum, totus est Lugduni, totus est Romæ; sed quædam tantum immensitatis pars est Lugduni, & alia quædam Romæ. Hac ratione, juxta Dagumerium, declinatur diffusionis physicæ incommodum, qua Deus suæ substantiæ partem aliam Lugduni, aliam Romæ haberet.

Sed plurimis urgetur vitiis hæc Scotistarum opinio, ex quibus duo tantum indicabimus: 1. substantiæ divinæ iteratio, quam inducit præfata hypothesis, Deo prorsus indigna est; unicum enim esse Deum jam demonstravimus: atqui, juxta Scotistarum figmentum, Deus esset multiplex: namque, cum sit totus extra se totum, totus est Lutetiæ, totus est Romæ; ergo Deus Lutetiæ existens, trecentis leucis distat a Deo existente Romæ; ergo distinguuntur perinde ac partes extensionis Parisiensis secernuntur a partibus extensionis Romanæ.

2. Hanc immensitatis divinæ naturam excogitarunt Scotistæ, ne Deus videretur limitatus & circumscriptus: atqui vitium illud non effugiunt. Quæque enim immensitatis divinæ pars est finita; sola quippe toti immensitati non æqualis est:

at-

atqui tota Dei substantia unam suæ immensitatis partem non excedit; ergo limitata est substantia divina. Illius enim iterationes, quas fingit Dagumerius, non magis limites ab ea excludunt, quam repetita hujus libri procreatio ab eo fines amoveret.

Ex iis omnibus colligendum est, quam parum valeat ratio humana, & divinæ immensitatis naturam, & illius cum Dei simplicitate concordiam assequi; satius est igitur ea in re, ut in aliis plurimis, nostram confiteri ignorantiam.

CAPUT VII.

De Æternitate Dei.

Æternitas est duratio, quæ nec initium habuit, nec finem est habitura: admittendum vero esse Ens aliquod æternum nemo sanus diffiteri potest. Vel enim res ita se habet, vel dicendum est omnia, quæ nunc existunt, aliquando fuisse in nihilo veluti consepulta: atqui illud posterius absurdum est. Si enim quidquid nunc existit, aliquando nihil fuisset, nihil etiamnum esset, nec quidquam potuit e nihilo emergere, juxta tritum illud effatum, *ex nihilo nihil nascitur*: atqui repugnat nihil hodie existere; admittatur ergo necesse est Ens aliquod eternum, quod cetera omnia e nihilo eduxerit. Hæc veritas adeo manifesta est, ut qui negant existere Deum, aliquam tamen substantiam æternam agnoscant. Quam scilicet Deo æternitatem denegant, materiæ tribuunt: hinc ea Auctoris libri *de arte cogitandi* verba; *Qu'y a-t-il de plus incompréhensible que l'éternité, & qu'y a t-il en même temps de plus certain? en sorte que ceux qui, par un aveuglement terrible, ont détruit dans leur esprit la connoissance de Dieu, sont obligés de l'attribuer au plus vil, & au plus méprisable de tous les étres, qui est la matiere.*

Quan-

Quantum in asserenda supremi Numinis æternitate consentiunt Philosophi & Theologi Christiani, tantum in explicanda ipsius natura dissentiunt. Eam *successivam* esse contendunt Scotistæ, qui durationem generatim constituunt in perpetuo quodam fluxu partium temporis sibi succedentium. Thomistæ vero docent omnem a Deo exulare successionem, statuuntque æternitatem Dei esse totam simul, & veluti punctum simplicissimum, omnia tempora complectens. Ea de causa celeberrimam defendunt Boetii definitionem, qua æternitas dicitur *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*. (*Lib.* 5. *de consol. Philosoph. Prosa* 6.)

Hinc tria statuemus; 1. Deum esse æternum; 2. æternitatem non esse successivam; 3. eam soli Deo propriam esse.

PROPOSITIO I.

Deus est æternus.

Prob. Deus est Ens necessarium, ut constat ex dictis; atqui Ens necessarium est æternum, sive nec initium habuit, nec finem est habiturum. 1. Quidem nullum in eo fuit initium. Si quod enim habuisset, aliquando non extitisset: atqui absurdum est Ens necessarium aliquando non extitisse. A quo nimirum existentiam accepisset? an a seipso? sed nihil potest sui ipsius esse causa. An ab alio? tunc non foret Ens necessarium, sed contingens; ergo 1. Ens necessarium excludit omne initium. 2. Nec finem umquam esse habiturum. Ad hoc enim requireretur, ut sua ipsi aliquando tolleretur existentia: atqui illud prorsus impossibile est. Nulla quippe res attributo suo *essentiali* spoliari potest: atqui existentia Enti necessario est *essentialis*, in ipsiusque idea continetur; si quod enim concipi posset punctum temporis quo non existeret, jam de-

desineret esse necessarium; ergo sua existentia spoliari non potest, ac proinde nunquam finem est habiturum; aliunde nullum habuit initium; ergo non potest non esse æternum; ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Æternitas Dei non est successiva.

Prob. 1. Ex ipsa durationis natura: Cum duratio, ut probavimus in Ontologia, nihil aliud sit quam existentia perseverans, æterna Dei duratio non potest esse *successiva*, quin confletur ex multis existentiis sibi succedentibus: atqui illud absurdum est; tum quia Deus unicam habet suæ naturæ existentiam, quæ cum necessaria sit, semper eadem remanet; tum quia, cum existentia nihil aliud sit quam res ipsa existens, sequetur Deum sibi succedere, Deum esse ante & post seipsum, quod prorsus ridiculum est; ergo, &c.

Prob. 2. Si æternitas Dei esset successiva, ita ut in ea variæ essent temporis partes, quæ aliæ post alias fluerent, inde sequeretur infinita numero sæcula ad hanc usque diem effluxisse; atqui absurdum est infinitam sæculorum multitudinem ad hanc usque diem fuisse elapsam: alioqui dies hodierna nunquam adfuisset; illa quippe est infiniti natura, ut exhauriri nunquam possit.

Prob. 3. Æternitas est perfectio Deo *essentialis*, ac proinde successiva esse non potest. Deus quippe eam totam & integram possideat necesse est. Præterea si quædam Dei perfectio successionem admitteret, vel pars quælibet perfectionem hanc constitueret, vel partium omnium sibi succedentium aggregatio: atqui neutrum dici potest. Non quidem 1.: si enim perfectio Deo *essentialis* in aliqua successionis parte sit posita, cum pars quælibet successiva, modo præsens sit, modo præterita, modo futura, dicendum erit per-

fe-

fectionem Deo *essentialem*, modo ipsi præsentem esse, modo præteritam, modo futuram: atqui id prorsus insulsum est. Non 2.: namque si perfectio Deo *essentialis* in tota partium sibi succedentium collectione sit constituta, inde sequitur Deum per totam æternitatem caruisse perfectione sibi *essentiali*; siquidem fieri non potest, ut totam partium sibi succedentium complexionem simul possideat, cum aliæ post alias perpetuo fluxu elabantur; ergo æternitas Dei nullo modo potest esse successiva.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Si æternitas Dei sit simplex, & partium sibi succedentium expers, quælibet creatura erit æterna, toti enim æternitati, utpote simplici, respondebit: atqui absurdum est quamlibet creaturam esse æternam; ergo æternitas Dei non est simplex, nec partium sibi succedentium expers.

Resp. Neg. maj. Nam eo sensu æterna Dei duratio dicitur simplex, quod ex multis sibique succedentibus existentiis non coalescat, sed unica sit existentia, eadem immutabiliter permanens: atqui ex eo quod creatura quælibet unicæ huic existentiæ respondeat, nemo sanus concludet eam esse æternam: ad illud enim super requiritur, ut existentiæ huic unicæ & immutabili semper responderit.

Ut autem res magis elucescat, observandum est ad æstimandam rerum durationem, adhiberi mensuram quandam communem, quæ *tempus* appellatur, ut motum solis, unde dies, horas, annos, sæcula computamus. Quo pluribus autem, vel paucioribus illius mensuræ communis partibus res aliqua respondet, eo magis vel minus quam altera durare dicitur; ut ergo quælibet creatura sit æterna, eam omnibus communis illius mensuræ partibus, id est, annis, sæculis, respon-

spondere & *coexistere* necesse est: atqui nulla creatura est hujusmodi, ut patet; ergo &c.

Objic. 2. Si æternitas divina omnem excluderet successionem, nihil ratione æternitatis esset revera præteritum aut futurum: atqui illud repugnat; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Nihil ratione æternitatis præteritum aut futurum esset, simul & durationi divinæ internum, conc. maj. quod sit durationi divinæ externum, neg. maj.

Re quidem vera, ut ait D. Seguy, nihil durationi divinæ internum potest esse præteritum aut futurum. Cum enim duratio divina ipsa sit Dei existentia, eadem immutabiliter perseverans, huic nihil internum est, nisi ipsa Dei existentia: atqui existentia Dei nec præterita, nec futura dici potest. Illud tamen non obstat quominus res Deo externæ, aliæ reipsa præteritæ sint, & aliæ futuræ. Illud enim, etiam respectu Dei, præteritum est, quod, Deo existente, desiit existere, id vero futurum, quod, existente Deo, nondum existit, sed aliquando extiturum est.

Præterea, ut jam diximus, ad dijudicandam rerum durationem usurpatur communis quædam mensura, qualis est solis conversio, eamque varias in partes dividimus, quas appellamus horas, dies, menses, annos, sæcula. Quod illius mensuræ partibus nondum respondet & *coexistit*, futurum est; quod vero ejusdem mensuræ partibus respondere & *coexistere* desiit, præteritum est.

Objicies 3. Si æternitas Dei non sit successiva, unicum erit instans: atqui absurdum est æternam Dei durationem non esse nisi unicum instans; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Æterna enim Dei duratio nihil aliud est, quam ipsius existentia, eadem constanter permanens, nullique mutationi obnoxia: atqui hujusmodi existentia dici nequit unicum instans. Hoc quippe nomine significatur aliquid ita fu-

fugax & instabile, ut jam evanuerit, cum illud apprehendere conaris.

PROPOSITIO III.

Æternitas ita Deo propria est, ut nulli creaturæ possit convenire.

Prob. Omnis creatura est effectus creationis: effectus creationis educitur e nihilo; quod extrahitur e nihilo, aliquando fuit in nihilo; quod aliquando fuit in nihilo, non semper extitit; quod non semper extitit, non potest esse æternum; ergo a primo ad ultimum, creatura non potest esse æterna.

Res illustratur ista hypothesi: Ponamus mundum fuisse ab æterno conditum; in hac hypothesi sol in aliquo zodiaci puncto v. g. in principio arietis, creatus fuerit, & post annum elapsum ad idem punctum redierit. Hoc posito, sic argumentor: Quando sol in principio arietis creatus, ad illud rediisset, dici potuisset: unus duntaxat annus est, ex quo mundus fuit procreatus: atqui id nunquam de mundo dici potuisset, si ab æterno fuisset creatus. Cum enim tunc mundus foret Deo coævus, dici etiam potuisset: unus duntaxat annus est, ex quo primum existit Deus: atqui illud de Deo pronuntiari potuisse, ridiculum perinde est ac impium; ergo mundus non potuit ab æterno procreari, nec proinde esse æternus; ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Creatio est possibilis ab æterno; ergo creatura potest esse æterna.

Resp. Dist. ant. Creatio est possibilis ab æterno pro tempore, conc. antecad. creatio est possibilis ab æterno & pro æterno, neg. ant.

Porro creatio non est possibilis ab æterno & pro

pro æterno, ita ut illius effectus, sive creatura, ab æterno esse potuerit. Quod enim debuit esse aliquando nihil, non potest esse ab æterno: atqui creatura quælibet debuit aliquando esse nihil; siquidem e nihilo eam fuisse eductam oportuit: quippe est productio substantiæ ex nihilo tum sui, tum subjecti.

Instab. Creatio fit per modum imperii, hoc scilicet verbo *fiat*; atqui verbum illud potuit effectum æternum sortiri; ergo creatio est possibilis etiam pro æterno.

Resp. Neg. min. Per verbum enim illud Dei imperantis, *fiat*, substantia quæ in nihilo erat, incepit existere: sed quidquid incepit existere æternum esse non potest; siquidem Ens æternum illud est, quod initio & fine caret.

Instab. Verbum illud Dei jubentis, *fiat mundus*, potuit ab æterno proferri: verum statim atque profertur, suum habet effectum; ergo potuit æternum sortiri effectum.

Resp. Dist. maj. Potuit ab æterno proferri pro tempore, conc. maj. pro æterno, neg. maj. Porro non potuit Deus verbum illud, *fiat mundus*, ab æterno proferre pro æterno. In hac quippe hypothesi mundus esset simul & non esset æternus: esset quidem æternus, ut supponitur; non esset autem æternus, quia post unius anni lapsum dici potuisset: *ante unum annum mundus non existebat*, ut in probatione ostendimus.

Instab. si verbum illud *fiat mundus*, non potuisset ab æterno & pro æterno pronuntiari, id oriretur vel ex defectu potentiæ in Deo, vel ex defectu possibilitatis in mundo: atqui neutrum dici potest; siquidem Deus semper fuit omnipotens, & mundus possibilis, ut patet; ergo verbum illud, *fiat mundus*, ab æterno & pro æterno proferri potuit.

Resp. Dist. maj. quoad 2. partem: Vel ex defectu possibilitatis in mundo pro æterno, conc. maj. pro tempore, neg. maj. dist. par. min.

Mun-

Mundus fuit quidem ab æterno possibilis pro tempore, nequaquam autem pro æterno. Repugnat enim mundum ab æterno extitisse. Id lepide, sed tamen efficaciter, sic demonstrat D. Cochet: *Si le monde est éternel, ou les œufs auroient existé avant les oiseaux, ou les oiseaux avant les œufs. Si les œufs avoient existé avant les oiseaux, ou ils auroient existé avant pendant une éternité, ou seulement pendant un temps determiné. S'ils n'avoient existé avant, que pendant un temps determiné, le monde & les œufs n'auroient pas existé de toute éternité. Si les œufs avoient existé avant les oiseaux pendant une éternité, il n'y auroit jamais eu d'oiseaux. On peut également prouver par le même raisonnement, qu'il repugne que les oiseaux aient existé avant les œufs.*

Objic. 2. Effectus potest esse suæ causæ coævus, ut lumen soli; ergo creatura potest esse Deo coæva, & proinde æterna.

Resp. Dist. ant. Effectus potest esse suæ causæ coævus, si causa sit temporalis, conc. si æterna, neg. effectus enim suæ causæ, si æterna sit, coævus contradictionem involvit. Namque repugnat idem esse simul & non esse: atqui effectus causæ suæ æternæ coævus, esset simul & non esset æternus. Foret quidem æternus, utpote causæ suæ, quæ supponitur æterna, coævus; non foret autem æternus, utpote eductus e nihilo tum sui, tum subjecti, ac proinde aliquando fuisset in nihilo; ergo, &c.

CAPUT VIII.

De Immutabilitate Dei.

PROPOSITIO.

Deus est perfecte immutabilis.

Prob. Ille est prorsus immutabilis, qui nec ratione existentiæ, nec ratione perfectionum, nec ratione consilii mutari potest: atqui Deus nec, &c. 1. quidem mutari non potest ratione existentiæ, cum ex necessitate suæ naturæ existat; 2. nec ratione perfectionum, cum nequeat aut novas acquirere, aut habitas deperdere. Namque Deus semper ex suapte natura est summe perfectus, ut probatum fuit: atqui novas perfectiones acquireret, aut jam habitas amitteret, neque semper, neque ex sua natura esset summe perfectus; ergo 2. &c. 3. Deus mutari non potest ratione consilii. Ille enim est suis in consiliis prorsus immutabilis, qui omnia sua decreta tulit ab æterno, eaque jam posita rescindere nequit: atqui talis est Deus; sua quidem decreta tulit ab æterno; alioquin in eo posset admitti aliqua mentis suspensio: atqui id repugnat; quælibet enim animi suspensio suam ducit originem vel ex ignorantia, vel ex impotentia, vel ex metu, vel ex levitate: atqui nihil horum in Deum cadere potest: non ignorantia, est enim summe intelligens; non impotentia vel metus, siquidem est summe potens; non denique levitas, namque est summe sapiens; ergo nulla in Deo potest admitti mentis suspensio, & proinde omnia sua decreta tulit ab æterno. Præterea decreta semel posita rescindere nequit. Cum enim sit sapientissimus, ut decreta semel constituta revocaret, ipsi occurrere deberet nova, cur sic ageret, ratio prius in-

incognita; atqui nihil novum & improvisum advenire potes Enti supremo; quippe quod omnia noverit per summam suam intelligentiam; ergo 3. Deus mutari non potest ratione consilii; aliunde nec ratione existentiæ & perfectionum; ergo prorsus est immutabilis.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Vere mutatur ille, quem facti sui pœnitet: atqui in Genesi 6. 6. *Pœnituit Deum, quod hominem fecisset*; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Quem facti sui pœnitet proprie conc. improprie & metaphorice, neg. Porro ea Scripturæ loca, quæ affectus humanos, v. g. dolorem & tristitiam, Deo videntur tribuere, non proprie, sed metaphorice tantum intelligenda sunt: quemadmodum ubi Deo affinguntur oculi, manus; &c. Cum enim Deus genus humanum diluvii fluctibus obruendo, eodem modo sese gesserit, ac si vera ductus fuisset pœnitentia, Scriptura quæ ad hominum morem & captum sese accommodat, Deum pœnituisse dicit.

Sed ibi non agitur de pœnitentia proprie dicta, quæ sita est in vero doloris sensu, cum pristinæ voluntatis revocatione. *Neque enim*, ait Samuel, *Deus homo est, ut agat pœnitentiam*. (*Lib.* 1. *Reg.* 15. 29.) Nam vera pœnitentia locum non habet, nisi cum aliquid præter expectationem accidit; atqui peccata ante diluvium commissa, præter Dei expectationem non evenerant; hæc enim Deus ab æterno præviderat; ergo &c.

Instab. 1. In eo est pœnitentia proprie dicta, qui priora decreta non semel revocavit: atqui Deus, &c. mortem, v. g. Ezechiæ (*Lib.* 4. *Reg. cap.* 20.); & Ninivitarum subversionem (*Jon.* 3.) decreverat: atqui hæc decreta revocavit; siquidem nec mortuus Ezechias, nec subversa fuit Ninive; ergo &c.

Resp. Neg. min. Deus enim nec subversionem

Ni-

Ninivitarum, nec mortem Ezechiæ statuerat: siquidem neutra contigit; quinimo tum Ninivitis, tum Ezechiæ ignoscere ab æterno constituerat, quia scilicet ab æterno præviderat, fore ut Ninivitæ peccata sua jejuniis, gemitu & lacrymis eluerent, & suam Ezechias sanationem ab eo enixe postularet.

Inst. 2. qui eundem hominem, prout justus est vel peccator, modo diligit, modo odit, procul dubio mutatur: atqui Deus eumdem hominem, &c.; ergo &c.

Resp. Neg. maj. Sicut enim Deus hominem justum ab æterno diligit in ordine ad tempus quo futurus est justus; sic ab æterno eumdem odit in ordine ad tempus quo justitiam peccando est amissurus; nulla igitur Deum subit mutatio; sed tota est in homine, qui ab uno statu ad alium devolvitur. *Mutatus es, non ille*, inquit D. Augustinus (*in Psal.* 72. *n.* 7.): id potest illustrari exemplo solis, qui licet omnino idem, oculos debiles & male affectos lædit & fatigat, quos prius sanos & vegetos recreabat.

Objic. 2. Qui de non creante factus est Creator, necessario mutatur: atqui Deus, &c. ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Qui de non creante factus est Creator, per novam voluntatem, necessario mutatur, conc. maj. per voluntatem ab æterno existentem, neg. maj.

Qui enim mundum non nova, sed æterna voluntate procreat, is nullam interiorem experitur mutationem; sed novum duntaxat externumque acquirit titulum, nempe *Creatoris:* atqui Deus non nova, sed æterna voluntate mundum condidit. Quidquid enim voluit, illud ab æterno voluit, quippe qui neque levitatis insimulari potest, cum sit summe sapiens; nec temporis mora indiget ad se determinandum, cum sit omnipotens; nec ipsi ulla nova ratio potest occurrere, cum sit summe intelligens, nec eum quid-

quam lateat. Hinc illud S. Augustini effatum: *Ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibet consilium.* (*Lib.* 12. *Civit. Dei*, *cap.* 17. *N.* 2.)

Instab. Deus tunc tantum factus est creans, quando res creata cœpit existere; ergo actio, qua Deus mundum condidit, non est ab æterno.

Resp. Neg. ant. Tunc enim Deus factus est creans, quando mundi efficiendi decretum posuit; quia scilicet actio, qua mundus fuit creatus, ipsum est decretum, quod Deus mundum existere voluit: atqui Deus illud decretum ab æterno posuit, non autem eo dumtaxat tempore, quo res creata cœpit existere; ergo &c.

Instab. Ubi nihil est creatum, ibi nullus est Creator; ergo Deus tunc tantum factus est creans, cum res creata cœpit existere.

Resp. Neg. ant. Ille enim est Creator, in quo residet actio per quam creatura existit, vel extitura est: atqui ubi nihil est creatum, ibi tamen esse potest actio creatrix, sive decretum aliquid producendi. Fingamus enim Deum hodie decernere, ut aliqua creatura existere incipiat crastina die, vi illius decreti crastina die certo extitura esset; ergo ubi nihil est creatum, ibi nihilominus esse potest Creator, ratione scilicet actionis creationis, sive decreti alicujus rei producendæ.

CAPUT IX.

Dei Libertate Dei.

Libertas, de qua hic agitur, est facultas agendi, vel non agendi. Disputatur vero an Deus sit liber in actibus suis externis, quando scilicet agit extra se, mundum v. g. procreando. Certum est enim Deum, eo quo diximus sensu, non esse liberum, cum agit intra se, dum, v. g. sese amat, quia non potest sese non diligere. Expendemus 1. generatim utrum Deus sit liber in

suis

suis actibus externis; 2. agemus de libertate Dei circa optimum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Deus sit liber in suis actibus externis.

Quæstionem hanc solvet sequens

PROPOSITIO.

Deus est liber in suis actibus externis.

Prob. 1. Ille prorsus est liber suis in actibus externis, qui pro suo arbitrio potuit creare, vel non creare: atqui Deus &c. vel enim res ita se habet, vel Deus aliqua creandi necessitate fuit constrictus: atqui illud posterius dici non potest. Undenam scilicet orta esset hæc necessitas? an ab ipsa Dei natura? sed Deus est Ens supremum, sibi ipse perfecte sufficiens; totumque a seipso felicitatem habens & perfectionem. An ab alio? sed Deo nihil est superius aut potentius, quod ipsi necessitatem imponere valeat; ergo &c.

Simile argumentum sic adhibet D. Le François; *Vous ne pouvez contester à Dieu la liberté, qu'en le supposant nécessairement déterminé à créer, ou par sa nature, ou par une cause distinguée de son Être. Or il est absurde de supposer Dieu déterminé par sa nature à créer, puisqu'étant l'Être par soi, il est indépendant par sa nature des êtres à qui il peut donner l'existence. Il est encore absurde de supposer Dieu déterminé par une cause distingué de lui, puisque tout ce qui existe n'existe que par lui. D'ailleurs cette cause devroit être elle même déterminée par une autre, celle-ci par une troisieme, & ainsi à l'infini. Par conséquent la création eût été impossible, parce qu'elle ne pourroit être que dans la supposition d'un nombre infini de détermination epuisée.*

Prob.

Prob. 2. intimo conscientiæ sensu & testimonio nobis compertum est nos esse liberos; hanc igitur libertatem nobis indidit Deus, per quem existimus: atqui non potuisset etiam mentibus nostris inseruisse, nisi illa ipse polleret, juxta vulgatum axioma, *nemo dat quod non habet*; ergo &c.

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Ille mundum libere non condidit, qui ad eum creandum per gloriæ suæ amorem necessario fuit determinatus: atqui Deus ad mundum creandum, &c. *nam universa propter semetipsum operatus est.* (*Proverb.* 16.)

Resp. Neg. min. Duplex distinguitur Dei gloria, alia *externa* & *accidentalis*, alia *interna* & *essentialis:* atqui neutra Deum ad mundum creandum necessario determinavit. 1. Non gloria externa. Hæc enim sita est in divinorum attributorum manifestatione, & laudibus, quibus Deum creaturæ prosequuntur: atqui hæc attributorum manifestatio Deum necessario non impulit ad mundum creandum; siquidem Deum nec beatiorem, nec perfectiorem efficit: alioquin ante mundum conditum, aliquid summæ Dei perfectioni & beatitudini defuisset? quod absurdum non minus quam impium est; ergo 1. Deus ad mundum creandum per suam gloriam *externam* & *accidentalem* non fuit necessario determinatus.

2. Nec per suam gloriam *internam* & *essentialem*. Hæc quippe ipsa est summa Dei perfectio & excellentia, quam Deus in se videt & amat: atqui summa illa perfectio & excellentia non pendet a variis effectibus, quos Deus extra se potest producere: quis scilicet, nisi impius, dixerit ex mundi creatione novam Deo perfectionis & excellentiæ factam esse accessionem? ergo nec per gloriæ suæ *internæ & essentialis* amorem Deus ad mundum creandum fuit necessario impulsus.

Obji. 2. Deus non potest esse simul liber & immutabilis: atqui Deus, ex superiori articulo, est prorsus immutabilis; ergo liber esse non potest.

Resp. Neg. maj. Cum immutabilitate in Deo conciliari potest libertas, si nullam in ipso mutationem arguat: atqui res ita se habet. Si quid enim mutationis Dei libertas importaret, maxime quia Deus vi suæ libertatis posset decretum semel positum revocare: atqui id dici non potest. Libertas quippe Dei perfecta est, ac proinde nullam adjunctam habet vel ignorantiam, vel levitatem: atqui libertas, vi cujus decretum semel constitutum Deus rescinderet, ignorantiam, vel levitatem demonstraret; ergo &c.

Instab. Deus, quatenus immutabilis, nullo potuit carere actu sibi interno, quale est mundi creandi decretum; quatenus vero liber, potuisset hujusmodi actu carere; ergo Deus non potest esse liber simul & immutabilis.

Resp. Dist. ant. Deus, quatenus immutabilis est, nullo potuit carere actu interno, qui eum perficiat, conc. qui eum non perficiat, neg.

Itaque duplicis generis actus interni in Deo secerni possunt; alii scilicet qui Deum perficiant, & alii qui eum non perficiant. Priores ii sunt, sine quibus Deus nec esse, nec concipi potest. Tales sunt cognitio & amor sui ipsius: posteriores autem sunt actus, quibus Deus aliquam habet ad creaturas relationem, nec ipsi Deo sunt necessarii: talis est actus, quo mundum creare decrevit; evidens quippe est Deum per ejusmodi actum non perfici. Quis enim dixerit ex mundi condendi decreto, aliquam Deo perfectionem accessisse, cum sibi perfecte sufficiat.

Porro Deus, quatenus immutabilis, nullo potuit carere actu interno eum perficiente, ut satis patet; sed quamvis a Deo semper abfuisset actus quidam internus eum non perficiens, nihilominus suam immutabilitatem servasset integram. In eo quippe sita est immutabilitas Dei, ut nec novam a-

acquirat perfectionem, nec habitam deperdat: atqui actus interni Deum minime perficientem, ipsi nullam perfectionem vel adjiciunt, vel detrahunt, ut ex ipsismet verbis patet; ergo Deus, licet immutabilis, potuit carere actu interno, qui eum non perficiat.

Instab. Deus, quatenus liber, potuisset carere decreto creationis mundi: atqui decretum illud est actus Dei internus, ipsumque perficiens; ergo Deus, quatenus liber, potuisset carere actu interno, etiam perficiente.

Resp. Neg. min. Quod enim in Deo ita existit, ut potuisset in eo non existere, certe respectu Dei non est perfectio; atqui decretum, quo statuit Deus mundum creare, ita in ipso existit, ut potuisset non existere: alioquin mundum necessario procreasset: atqui id absurdum est, cum Deus sibi perfecte sufficiat; ergo, &c.

Instab. Illud decretum est Dei perfectio, quo constituitur determinatus: atqui Deus per decretum creationis mundi constituitur determinatus; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Illud decretum est Dei perfectio, quo constituitur determinatus *simpliciter*, conc. determinatus ad hoc vel illud, neg. dist. parit. min.

Itaque perfectio est in Deo, ut sit determinatus *simpliciter*, & decreta generatim habeat; alioquin incertus, anceps & fluctuans esset, quod repugnat: verum hoc vel illud decretum non est Dei perfectio; nulla v. g. Deo supervenit, ex eo quod decreverit hoc vel illud creare, potiusquam non creare; siquidem ipsi non melius est decernere alicujus creaturæ existentiam, quam non decernere; sibi enim perfecte sufficit; ergo, &c.

Qua de re sic habet D. Le François: *Ce qui reviendroit à Dieu de l'existence des créatures, ou c'est Dieu lui-même qui se le donneroit à l'occasion des créatures, ou ce sont le créatures mêmes qui le lui donneroient: or l'une n'est pas moins*

moins insoutenable que l' autre. Il est insensé de penser que Dieu auroit eu quelque cose de moins, s' il n' avoit pas créé le monde, & qu' en le créant il a eu quelque dégré de perfection de plus. L' Être par soi ne peut rien se donner, & les créatures ne pourroient rien lui ajouter, parce qu' il est la plenitude de l' être.

Instab. Actus summæ virtutis & efficaciæ est perfectio; atqui decretum, vi cujus mundus extitit, summæ est virtutis & efficaciæ; ergo vera est perfectio.

Resp. Dist. maj. Actus summæ virtutis & efficaciæ est perfectio, id est, ratione sui perfectus est, conc. perfectio est respectu Dei, neg.

Porro mundi efficiendi decretum, vi cujus res creatæ e nihilo emerserunt, cum sit summæ virtutis, in se quidem perfectum est; sed respectu Dei perfectio dici non potest, quia Deo non melius est mundi creationem decernere, quam non decernere; Deus enim non minus perfectus vel beatus fuisset, etiamsi mundum procreare non statuisset.

Instab. Quidquid in Deo existit, vera est perfectio, imo Deus ipse: atqui mundi producendi decretum in Deo existit, ipsique internum est; ergo &c.

Resp. Dist. maj. Quidquid in Deo existit necessario, vera est perfectio, conc. maj. quidquid in Deo existit libere, ita ut potuerit in eo non existere, vera est perfectio, neg. maj.

Quidquid in Deo existit necessario, vera quidem est perfectio: talis est amor, quo seipsum necessario prosequitur. Quod vero ita in Deo existit, ut potuerit in eo non existere, vera non est respectu Dei perfectio; Deus enim vera perfectione carere nunquam potuit: atqui decretum, quo Deus mundi creationem constituit, poterat in eo non existere; siquidem ex mundo condito nihil perfectionis in Deum derivatur; ergo, &c.

Ergo, inquies, libertas in Deo non est perfe-

fectio; siquidem actus liberi, quos exercet, eum non perficiunt.

Resp. accuratam non esse hanc conclusionem: multum scilicet discriminis est inter libertatem ipsam, & actum liberum, sive libertatis exercitium. Libertas enim, non secus ac omnipotentia, attributum est Deo *essentiale*, quia procul dubio melius est libere, & pro suo arbitrio agere, quam ex necessitate: at vero libertatis, sicut & omnipotentiæ, actus, sive exercitium, respectu Dei non est perfectio. Numquid enim perfectior, vel beatior foret Deus, si mundum alterum, ut certe potest, conderet?

Objic. 3. Si Deus foret liber, in eo essent actus *contingentes*: atqui in Deo esse nequeunt actus *contingentes*, ergo &c.

Resp. Neg. min. Potuit enim Deus mundi existentiam decernere: atqui decretum illud in Deo est *contingens*; siquidem Deus nulla mundi procreandi necessitate constrictus erat; ergo, &c.

Instab. 1. Non magis esse possunt actus *contingentes* in Ente necessario, quam actus necessarii in ente contingenti: atqui in ente contingenti esse non possunt actus necessarii, ergo, &c.

Resp. Neg. maj. & parit. Ratio discriminis est, quod actus necessarius ejusdem naturæ subjectum exigat. Actus enim necessarius ita existit, ut nunquam possit non existere: atqui posset aliquando non existere, nisi ejus subjectum foret necessarium; sublata quippe subjecti existentia, tolluntur omnes actus; siquidem nequeunt seorsim a subjecto existere.

Contra vero actus *contingens* non requirit subjectum *contingens*, sicque potest in Ente necessario reperiri: sublato enim actu, subjectum existere non desinit. Numquid enim mens nostra cessat existere, quando evanescunt quædam illius affectiones? ergo potest actus non existere, quamvis necessarium sit illius subjectum; ac proinde actus contingens in subjecto necessario esse potest.

In-

Instab. 2. *Contingentia* est imperfectio: atqui in Ente necessario nulla potest esse imperfectio; ergo nec actus contingens.

Resp. Dist. maj. *Contingentia*, quæ cadit in subjectum, est imperfectio, conc. maj. si cadat in actum solum, neg. maj. dist. similiter min.

Profecto *contingentia*, quando in objectum ipsum cadit, est imperfectio, siquidem arguit subjectum posse existere vel non existere, ac proinde a causa creatrice pendere. Ubi vero *contingentia* non spectat nisi aliquos actus, tunc imperfectio dici non potest; ad perfectionem enim maximam, nempe libertatem, pertinet.

ARTICULUS II.

De Libertate Dei circa optimum.

Triplex circa præsentem quæstionem est sententia, 1. Malebranchii, 2. Leibnitzii, 3. ceterorum fere omnium Philosophorum.

SENTENTIA MALEBRANCHII.

1. Juxta Malebranchium, Deus ad creandum vel non creandum omnino liber est ac indifferens; quia seipsum solum necessario amat, sibique perfecte sufficit.

2. Nihil facere potest Deus, quin actiones inter & opus sit proportio. Cum autem infinita sit actio divina, Deus nullum opus efficere potest, nisi infiniti sit pretii.

3. In hypothesi creationis necessaria fuit unius e Personis divinis *Incarnatio*. Deus quippe non agit, nisi ut ex rebus creatis gloriam seipso dignam obtineat; atqui eam sibi comparare non potuisset, sine unius e Personis divinis *Incarnatione*. Ea namque sublata, Deus a rebus creatis non potuisset percipere, nisi gloriam finitam:

 hæc

hæc vero non censetur Deo digna, quia finitum inter & infinitum nulla est proportio.

4. Deus ex hypothesi quod agat, ad optimum tenetur, quia illud opus solum Enti sapientissimo, qualis est Deus, dignum censeri debet, quod est optimum. Præterea Deus non creavit mundum, nisi propter majorem suam gloriam: atqui major in Deum refunditur gloria ex mundo perfectiori, quam ex minus perfecto; ergo mundum condidit perfectissimum.

5. Operis perfectio æstimanda est ex viarum simplicitate & fœcunditate, quibus finem suum opifex assequitur; exigit ergo divina sapientia, ut Deus semper aut saltem ordinarie, agat via simplicissima simul & fœcundissima. Viarum autem simplicitatem in eo constituit, quod Deus numquam, aut raro duntaxat per voluntates, particulares operetur, sed omnia per voluntates, seu leges generales, administret, quæ ad producendos effectus speciales causarum secundarum interventu determinantur. Quidquid in rerum natura contingit, juxta leges illas generales evenire asserit, absque peculiari Dei voluntate. Si nascuntur monstra, si nonnullis vitiis & defectibus orbis universi pulchritudo deformetur, illud non tribuendum est speciali cuidam creatoris voluntati, sed legibus generalibus ab ipso institutis, quas interrumpi vetat suprema illius sapientia. Dictat enim mundi perfectionem non tanti esse pretii, ut propterea divinæ voluntatis actus multiplicari conveniat.

PROPOSITIO I.

Deus ex hypothesi quod agat, non tenetur ad optimum, ut contendit Malebranchius.

Prob. Si respectu Dei non melius sit creare mundum magis perfectum, quam minus perfectum,

ctum, certe non tenetur ad optimum: atqui respectu Dei non melius est creare mundum perfectiorem, quam minus perfectum, & quidem plurimas ob causas. 1. Enim si Deo satius esset mundum perfectiorem producere, quam minus perfectum, ipsi etiam melius foret mundum creare, quam non creare; siquidem mundus existens est aliquid perfectius, quam mundus non existens: atqui tamen ex ipso Malebranchio, non melius est Deo mundum e nihilo educere, quam non educere: alioqui non potuisset Deus ab illius creatione abstinere; quod absurdum est.

2. Si melius esset Deo mundum perfectiorem producere, quam minus perfectum, debuisset, vel a primo creationis exordio, omnem spiritum, omnem materiam, omne ens, omnemque entis gradum possibilem creare: siquidem tunc mundus & perfectior & locupletior extitisset: atqui tamen illud a Deo fieri debuisse nemo dixerit.

3. Denique si melius esset Deo mundum perfectiorem creare, quam minus perfectum, nullus foret Deo possibilis. Quem enim mundum procreare? an minus perfectum? sed eum producere nequit, si ineluctabili quadam necessitate ad optimum adstringatur. An mundum, qui sit omnium perfectissimus? Sed neque talem potest efficere; siquidem repugnat. Quodlibet enim ens creatum potest semper magis ac magis perfici: a summa quippe Dei perfectione infinito distat intervallo; ergo nequaquam melius est Deo, mundum perfectissimum producere, quam minus perfectum; ac proinde ex hypothesi quod extra se agat, ad optimum non tenetur.

PRO-

PROPOSITIO II.

Rejicienda est Malebranchii opinio de voluntatibus Dei generalibus, quæ per creaturas, tanquam causas occasionales, ad singula quæque producenda determinentur.

ARGUMENTUM I.

Ex Providentia Divina.

1. Passim docet Scriptura sacra, Deum rerum omnium, quantumlibet viles & objectæ videantur, speciatim curam gerere, aves cæli nutrire, agri lilia pulcherrimis vestire coloribus, jumentis fenum producere, absque ipsius imperio nec arborum folia, nec capitis nostri capillos in terram cadere, omnem sollicitudinem in ipsum projiciendam esse, quoniam ipsi cura est de nobis, & alia ejusmodi sexcenta; atqui hæc stare non possunt cum eo systemate, in quo Deus rebus creatis voluntate particulari non providet.

2. Divinam ad Providentiam pertinet universa sic disponere, ut ipsi subserviant omnes & singulæ creaturæ. Cum enim sapientis cujusque regiminis duæ sint partes, imperium nimirum & executio, imperare debet supremum dominium, & ipsius jussa exequi debent subditi. Enim vero quid cogitaremus de Principe, qui regnum suum sic administraret, ut nihil speciatim decerneret, sed omnia juxta ministrorum vota perageret? nonne eum regio nomine prorsus indignum, soloque titulo Principem esse pronuntiaremus? atqui in Malebranchii systemate Deus indecoram hujus Principis personam gereret; siquidem nihil voluntate particulari statuens, mundi gubernaculum causis occasionalibus dimittit, quarum motibus operationem suam tantum accommodat; ergo, &c.

AR-

ARGUMENTUM II.

Ex Fidelium Precibus.

Quotidie Deus oratur, ut corporum sanitatem, ut salubres pluvias, ut serenum tempus, ut prosperum rebus inceptis exitum largiatur; frequens oratur, ut nimiam imbrium copia inhibeat, ut pestis contagium famemque depellat, ut sinistros eventus avertat, ut felicem navigantibus cursum, aliaque id genus innumera, concedere velit. Hæc autem beneficia inaniter a Deo non postulari, quis Catholicus dubitat? atqui tamen frustra postularentur, si omnia hæc non peculiari numinis consilio regerentur, sed generalibus duntaxat voluntatibus, prout naturæ cursus & causæ quædam occasionales; ergo, &c.

ARGUMENTUM III.

Ex eo quod plus a creaturis, quam ab ipso Deo sperandum esset ac metuendum.

In Malebranchii systemate nulla nobis bona conferret, nullas pœnas infligeret Deus, nisi per causas occasionales determinatus, quibus non potest non obsequi; alioqui summam suam sapientiam offenderet. Quemadmodum igitur in Administro, voluntatem Regis quocumque vult inclinante, certius collocatur spes, quam in ipso Principe nihil nisi juxta ministri sui postulata decernente ita cum Deus particulares eventus non decernat, nisi prout exigunt causæ occasionales, in istis, potius quam in Deo, reponendam esse spem nostram suadet ratio. Quid ergo sibi volunt hæc Scripturæ oracula? *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine: bonum est sperare in Domino, quam sperare in Principibus*, (*Psal.* 117.).

ARGUMENTUM IV.

Ex eo quod systema Malebranchii divinam evertat potentiam.

Ille non est omnipotens, qui mundum creare non potuit isto, in quo vivimus, perfectiorem; in quo nullum esset monstrum, nulla deformitas, nullum peccatum; ita ut mundus præsens ultima sit divinæ potentiæ meta, eamque penitus exhauriat: atqui id sequitur ex Malebranchii systemate. Nam, juxta ipsum, obstat divina sapientia, ne mundus plurimis careat vitiis: quia hæc, inquit, impediri non possunt, nisi recedatur a simplicitate viarum, seu legum quibus hic mundus regitur; suprema vero sapientia dictat eum mundum esse optimum, eoque nomine præferendum, non qui plures perfectiones, paucioraque vitia complectatur, sed qui ceteris omnibus possibilibus perfectior sit, comparate ad vias simplices quibus administratur: porro id non potuit Deus, quod pugnat cum summa ejus sapientia ergo &c.

ARGUMENTUM V.

Ex eo quod finem a se intentum non consequatur Malebranchius.

Ideo mundum non regi nisi voluntatibus generalibus censet, ut administretur via simplissima, utque in Deo pauciores sint voluntates particulares: atqui finem sibi propositum non assequitur Malebranchius. Causæ enim occasionales quas fingit, minime efficiunt ut pauciores sint voluntates Dei speciales; sed tantum id præstant, ut voluntates illas determinent: Ubinam ergo est illa tantopere jactata viarum simplicitas?

Sol-

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Deus, utpote sapientissimus, ex se fertur ad illud quod melius est: atqui mundus perfectior, est aliquid melius mundo minus perfecto; ergo Deus ex se & necessario fertur ad producendum mundum perfectissimum.

Resp. Dist. maj. Ad illud fertur, quod sibi melius est, conc. quod melius est creaturis, neg. dist. parit. min.

Revera quidem Deus ad illud necessario fertur, quod sibi melius est, quia sua felicitate sese fraudare non potest. Sic quia melius est Deo, ut sit determinatus, quam si anceps & incertus fluctuaret, idcirco quæcumque facturus erat, ab æterno constituit; sed minime postulat divina sapientia, ut Deus agat quidquid creaturis melius est: alioquin non potuisset eas e nihilo non educere; ipsi enim melius est existere, quam non existere. Porro major mundi perfectio est quidem aliquid melius respectu ipsius mundi, sed non ratione Dei: secus dicendum esset fore ut Deus aliquo bono sibi proprio caruisset, nisi mundum creavisset; quod nemo senserit; ergo, &c.

Præterea eodem sensu Deus dicitur summe sapiens, quo dicitur summe bonus: atqui summa Dei bonitas non exigit ut dona quæcumque possibilia in creaturas effundat; ergo nec postulat summa sapientia, ut illud efficiat quo nihil perfectius esse possit.

Objic. 2. Deus ex hypothesi quod extra se agat, non potest creare mundum, qui divina attributa modo perfectissimo exprimat: atqui mundus ille est omnium perfectissimus; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Deus ex hypothesi quod extra se operetur, non potest quidem suas perfectiones non exprimere in mundo quem procreat, scilicet intelligentiam, potentiam, bonitatem, &c. sed nequaquam tenetur sua attributa modo

per-

perfectissimo veluti dipingere. Alioquin, ut suam immensitatem demonstraret, debuit materiam immensam producere; ut summam intelligentiam & scientiam splendidius exhiberet, debuit spiritus longe perspicaciores producere, omniaque ipsis sua pandere consilia, & omnia naturæ arcana revelare. Longe autem aliter sese gessisse Deum testatur experientia.

Eamdem difficultatem sic explodit auctor libri, cui titulus: *L' action de Dieu sur les créatures*, &c. *S' il est permis d' avancer que Dieu, lorsqu' il a voulu agir au dehors; a dû vouloir créer l' ouvrage qui exprime le plus ses divines perfections, je dirai de même: lorsque Dieu a voulu former le décret d' agir, ou de ne pas agir au dehors; lorsqu' il s' est déterminé à vouloir quelque chose sur la création, ou sur la non création de l' univers, il a dû vouloir nécessairement le parti qui exprimoit les perfections divines préferablement à celui qui ne les exprimoit point: or vouloir créer, c' étoit vouloir exprimer les perfections divines; & vouloir ne pas créer, c' étoit ne vouloir pas les exprimer; donc Dieu a dû vouloir nécessairement créer l' univers: raisonnement qui est rejetté avec horreur.*

Instab. Deus suas perfectiones amat necessario; ergo vult etiam necessario eas modo perfectissimo exprimere.

Resp. Neg. conseq. Ipso enim fatente Malebranchio, amor, quo Deus suas perfectiones prosequitur, non exigit ut per creationem manifestentur; alioqui mundum necessario condidisset: ergo pariter non exigit ut hoc potius quam illo modo, in hoc potius quam illo gradu easdem exhibeat. Præterea Deus in hoc mundo non exprimit omnes suas perfectiones, quas manifestare potest: multæ sunt enim creaturis incognitæ, quarum similitudinem operi suo exsculpere potuisset; ergo amor, quo Deus suas perfectiones diligit, non postulat ut eas, quantum valet, exprimat.

Obji.

Obji. 3. Deus necessario propter majorem suam gloriam agit: atqui major gloria in Deum redundat ex mundo magis perfecto, quam ex mundo minus perfecto; ergo Deus necessario fertur ad creandum mundum magis perfectum.

Resp. Neg. maj. Hic enim agitur de gloria Dei externa, quæ sita est in divinarum perfectionum manifestatione, in creaturarum laudibus & obsequiis: atqui propter hujusmodi gloriam necessario non agit Deus, siquidem ea non indiget. A creaturis, si existant, debentur quidem Deo laudes, gloria & obsequium: sed Deus pariter est beatus, pariter & perfectus, sive laudes a creaturis accipiat, sive non accipiat, sive entia ab eo distincta existant, sive non existant. Nec enim felicior aut perfectior evasit, ex quo *dixit*, *& facta sunt*, ex quo *mandavit*, *& creata sunt:* alioqui necessario voluisset Deus mundum existere; quod tamen negant adversarii.

Instab. Saltem gloria ex mundo redundans, debet esse Deo digna: atqui non esset Deo digna, nisi foret omnium maxima; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Gloria enim externa, sive major, sive minor, respectu Dei aliquid est æquale, siquidem ea nullo modo indiget. Namque cum a mundi creatione pendeat hujusmodi gloria, si ipsius acquisitio respectu Dei esset aliquid melius, quam ejus privatio, non potuisset Deus mundum non creare: atqui tamen potuit, fatentibus adversariis; ergo, &c.

Instab. Gloria ex mundo redundans non potest esse Deo digna, quin æqualis sit actioni divinæ, qua mundus producitur: atqui non potest huic actioni, utpote infinitæ, par esse, nisi omnium sit maxima, & suo modo infinita; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. quæ nititur hoc principio: *effectus non potest esse sua causa dignus, nisi ipsi æqualis sit:* atqui falsissimum est illud principium: statuunt quidem Philosophi causam debere effectum suum aliquo modo continere, & proin-

proinde ipsi saltem esse æqualem. Sed paradoxum est in scholis inauditum, debere vice versa quemlibet effectum esse causæ suæ parem. Præterea si effectus non possit esse sua causa dignus, nisi ipsi prorsus consimilis fuerit, Deus, aut nulla entia, aut saltem nonnisi Deos sibi prorsus æquales creare potuisset: atqui consectarium illud absurdissimum est; ergo, &c.

Objic. 4. Deus, utpote sapientissimus, tenetur vias sequi perfectissimas, id est, quæ simul & fœcundissimæ sint & simplicissimæ; atqui viæ generales sunt simul & fœcundissimæ & simplicissimæ; ergo tenetur Deus mundum regere per vias generales, ac proinde per voluntates generales.

Resp. 1. Neg. maj. Viæ enim fœcundissimæ, juxta Malebranchium, eæ sunt quæ plures majoresque perfectiones mundo possunt afferre: atqui non tenetur Deus hujusmodi vias eligere, seu mundum creare, qui, spectatis omnibus, sit optimus & perfectissimus, ut patet ex dictis. Præterea non exigit etiam divina sapientia, ut Deus per vias simplicissimas operetur. Numquid enim non potest, si vellet, vitam animantium absque alimentis servare, sine arboribus, pluviis & calore solis fructus producere, sine agriculturæ laboribus & molestiis segetes procreare? Hæc certe via foret simplicissima. Cur ergo res aliter disposuit Deus, nisi quia viarum simplicitati non studuit?

Resp. 2. Neg. minorem, scilicet vias generales, quales ab auctore intelliguntur, fœcundissimas esse simul & simplicissimas. Cum enim causæ quælibet secundæ id tantum efficientiæ habeant, quod acceperunt a causa prima, omnes pariter vel fœcundæ sunt, si a Deo moveantur, vel inertes & steriles, si non moveantur. Undenam vero didicit Malebranchius vias, quibus mundus iste administratur, esse omnium fœcundissimas & simplicissimas? Quis omnes rerum ordi-

nes possibiles ita compertos habet, ut assere audeat nullum esse æque simplicem & fœcundum: in quo nulla monstra, nulla deformitas, nulla vitia, vel pauciora, quam in præsenti ordine, existerent? Numquid Deus est summe potens, si mundus viis simplicibus gubernare nequeat, quin monstra & deformitates permittere cogatur?

Resp. 5. Neg. conseq. Deus quidem, ut certo & uniformi ordine decurrat rerum universitas, mundum legibus nonnullis generalibus, a se libere institutis regit & moderatur. Sic vitam mortalem non conservat, nisi per alimenta; morbos non depellit, nisi per medicamenta: sed maximum discrimen est inter leges illas seu vias generales, & voluntates generales ac vagas, quæ per causas occasionales ad singulos effectus producendos determinentur. Priores enim nihil habent, quod summam Dei majestatem maxime non deceat; quantum vero posteriores Deo sint injuriosæ, ex dictis apertum est. Perperam igitur concludit Malebranchius mundum a Deo regi per voluntates generales ex eo quod juxta leges quasdam & vias generales ac uniformes gubernetur.

Objic. 5. Si pluvias, tempestates, & alia ejusmodi Deus peculiari voluntate ordinaret, quisquis ab iis tutum se præstare conaretur, divinæ voluntati resistere: atqui illud absurdum est; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Nam, præter operantem Dei voluntatem, qua grandines, tempestates, fulgura & cetera hujusmodi immittit; alia est præcipiens, quæ nos jubet & vitæ & incolumitati nostræ consulere; cui voluntati debemus obsequi. Hinc, quamvis Elias, post trium annorum siccitatem, insigni miraculo pluviam obtinuisset, nihilominus Regem Acab monuit, ut quantocius palatium repeteret, ne imbris copia corriperetur.

SENTENTIA LEIBNITZII.

Juxta Leibnitzium, celeberrimum Germaniæ Philosophum, Deus agere non potest, quin ad illud moveatur ratione aliqua sufficiente; multo magis contra rationis consilium agere nequit. Unde concludit a Deo creatum esse mundum, præ ceteris omnibus, optimum & perfectissimum: namque vel mundus præsens aliis omnibus præstat, vel quidam possunt esse ipsi æquales, aut ipso etiam perfectiores: atqui duo posteriora repugnant. 1. Enim si plures essent mundi huic nostro æquales, nulla Deo fuisset ratio sufficiens, cur præsentem crearet, potius quam alios. 2. Si neglecto mundo perfectiori, hunc minus perfectum condidisset Deus, contra rationis consilium sese gessisset: ergo creavit mundum, qui aliis omnibus sua perfectione præcellebat. Mundum vero præsentem ait esse omnium perfectissimum, non quidem ratione singularum ipsius partium, sed ratione universitatis, per quam æstimari debet alicujus opificis industria & sapientia. Singulæ enim partes ad totius operis perfectionem ita conspirant, ut ex eis totum aliquid coalescat, quo nihil Deo dignum magis in eodem genere, nec attributis divinis magis accommodatum esse possit.

PROPOSITIO.

Rejicienda est Leibnitzii Sententia.

Prob. Sententia illa rejici debet, quæ tum divinam, tum humanam libertatem convellit, & falso nititur principio: atqui talis est sententia Leibnitzii: 1. quidem libertatem Dei prorsus evertit; siquidem, ea posita, Deus non potuit non creare. Si enim melius fuerit Deo creationem velle, quam nolle, non potuit non creare, cum

cum teneatur ad optimum: atqui, juxta Leibnitzium, melius fuit Deo creationem velle, quam nolle. Nam creationem voluit: atqui in opinione Leibnitzii illam decernere non potuisset, si respectu Dei perinde esset creationem velle aut nolle; ergo non potuit non creare; ergo 1. &c.

2. Humanam etiam libertatem perimit: namque ille non est liber, qui ex duobus bonis inæqualibus, melius necessario eligit, ex duobus vero æqualibus neutrum eligere potest: atqui in sententia Leibnitzii ea est hominis conditio: nam præsente majori bono, nulla est ratio sufficiens minus bonum anteponendi, & ubi bona sunt æqualia, nulla etiam ex parte objecti occurrit ratio sufficiens, propter quam unum præ alio eligatur, ergo 2. &c.

3. Sententia Leibnitzii falso nititur principio: namque instar principii & fundamenti statuit, nihil fieri sine ratione sufficiente: atqui principium illud sensu Leibnitzii intellectum, falsum est: ratio enim sufficiens, juxta illum Philosophum, est aliqua ratio peculiaris, petita ex objectorum natura, & prævalens, sive major bonitas, quam in objecto opposito: atqui id falsum est: alioquin ultima ratio propter quam determinaretur voluntas, semper ex parte objecti repetenda esset: atqui id dici nequaquam potest. In actionibus enim liberis sæpe contingit, ut tota ratio facti, sit voluntas & arbitrium facientis; ergo 3. principium a Leibnitzio constitutum, falsum est; aliunde ipsius systemate prorsus convellitur libertas tum divina, tum humana; ergo rejiciendum est.

Solvuntur objecta.

Objic. Ille tenetur ad optimum, qui neque ex duobus bonis æqualibus alterutrum eligere, neque ex inæqualibus, quod minus est, assumere potest: atqui Deus neque ex &c. ergo tenetur ad optimum.

Resp.

Resp. Neg. min. quoad utramque partem: 1. quidem ex duobus bonis æqualibus unum potest eligere Deus, altero neglecto: ab actu enim ad posse valet consecutio: atque ex duobus æqualibus unum elegit Deus, altero prætermisso: respectu Dei perinde fuit mundum vel tardius vel citius procreare, planetarum conversionem vel ab occasu in ortum, ut nunc fit, vel ab ortu versus occasum dirigere: atqui tamen unum præ alio elegit Deus; ergo, &c.

Præterea objecta duo æqualia eadem omnino sunt, ac si neutrum haberet alterum sibi æquale, siquidem objecti naturam non mutat alterius æqualitas, utrumque seorsim idem manet, sive tollatur, sive stet alterum: atqui si ex duobus objectis æqualibus, unum duntaxat superstes remaneret, altero sublato; si unicum esset, nec haberet æquale, illud assumere, vel non assumere posset Deus; ergo etiam ex duobus objectis æqualibus, unum potest Deus eligere, altero neglecto.

2. Potest etiam ex duobus inæqualibus, quod minus perfectum est, præ alio eligere. Potest enim quidquid possibile est efficere: atqui opus minus perfectum, in se est possibile. Et certe quantacumque supponatur mundi perfectio, semper finita erit; ergo possibilis est major perfectio; ergo mundum nostro perfectiorem condere Deus potuisset, ac proinde ex duobus inæqualibus, potest quod minus est anteponere.

Inst. probando primam partem minoris: Deus agere non potest sine ratione sufficiente; atqui tamen ita Deus ageret, si ex duobus bonis æqualibus, unum assumeret, altero neglecto; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Bonitas enim utriusque objecti æqualis, utrinque est ratio sufficiens, propter quam unum vel alterum, pro suo arbitrio Deus eligat. Non quidem est ratio ultima. Hæc enim ab ipsa Dei voluntate, unum alteri anteponente, repetenda est; sed tamen ex parte objecti non

de-

deest conditio requisita, nempe illius bonitas, ut voluntatem suam ad eligendum alterutrum Deus convertat.

Instab. Cum duo bona sunt æqualia, vis unius elidit vim alterius; ergo non est ratio, cur voluntas unum præ alio eligat.

Resp. Neg. ant. Bonitas enim unius objecti non tollit æqualem alterius bonitatem: atqui bonitas objecti est ratio sufficiens, quamvis non ultima, propter quam illud, etiam sapienter, assumere possit voluntas. Quis enim crediderit viatorem qui Lugdunum petit, non posse, nisi insipienter agat, ex duabus viis omnino æqualibus, unam arripere, neglecta altera?

Instab. Si Deus ex duobus æqualibus unum eligeret, illud alteri anteferret: atqui Deus ex duobus objectis æqualibus, unum alteri anteferre, sine insipientia, non potest; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Unum alteri anteferret, ad unum potius quam ad aliud sese determinando, conc. maj. unum pluris quam alterum æstimando, neg. maj. dist. similiter minorem: Deus ex duobus æqualibus, unum alteri anteferre, sine insipientia, non potest, unum pluris quam alterum æstimando, conc. min.; ad unum potius quam ad alterum sese libere determinando, neg. min.

Revera, ubi agitur de æqualibus, Deum sapientissimum dedeceret, unum alteri anteponere, ita ut unum pluris quam aliud æstimaret: illæsa vero sapientia, potest unum alteri anteferre, ad illud potius quam ad alterum sese determinando; ille enim actus ipsum est divinæ libertatis exercitium.

Inst. probando secundam partem minoris, quæ spectat bona inæqualia: Ens sapientissimum ad illud tenetur, quod melius & perfectius est: quis enim ut sapientem eum habeat, qui ex duobus inæqualiter perfectis, eligeret minus perfectum? atqui Deus est Ens sapientissimum; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Ad illud tenetur Ens sapientis-

tissimum, quod melius & perfectius est, ratione finis quem sibi proponit, conc. ad illud quod melius & perfectius est ratione creaturarum; neg.

Re quidem vera Entis sapientissimi est, illud eligere quod melius est respectu finis, quem in mente habet. Nam, juxta nostrum concipiendi modum, in eo maxime sita est sapientia, ut adhibeantur instrumenta ad finem obtinendum aptissima: iisque stultus censeretur, qui, prætermissis viis ad finem assequendum magis accommodatis, iis uteretur quæ sunt minus idoneæ. Sed minime obstringitur ad illud eligendum quod melius & perfectius est respectu creaturarum. Mundus quippe existens est aliquid melius mundo non existente: atqui tamen nulla fuit Deo mundi procreandi necessitas, cum sibi perfecte sufficiat, ut toties diximus.

CAPUT X.

De Scientia Dei.

Hic tria sunt inquirenda: 1. quodnam sit divinæ Scientiæ objectum; 2. quodnam illius *medium*: 3. quotuplex sit.

ARTICULUS PRIMUS.

De Scientiæ divinæ objecto.

Cum Deus sit Mens perfectissima, summam habeat necesse est intelligentiam & scientiam, quæ ad omnia pertineat, sive possibilia, sive existentia, sive præterita, sive futura. *Domine*, inquit Scriptura, *qui habes omnium scientiam*; (*Esther* 14.) *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima & antiqua*. (*Psal.* 138. *v.* 5.) Deo tamen exploratas esse actiones hominum libere futuras, negant Sociniani, & Deistarum pars maxima. Cum scilicet hujusmodi actiones

nes tam possint non evenire, quam evenire, inde concludunt eas certo præsciri non posse futuras aut non futuras, sed rem in ancipiti remanere, donec voluntas humana sese determinaverit. Ad eos refellendos, sit

PROPOSITIO.

Deus ab æterno liberas hominum actiones futuras certo præscivit.

Prob. 1. Deus ab æterno ea omnia certo præscivit, quæ ab ejus voluntate & omnipotentia pendent: atqui futura libera a Dei, &c. Ab eo quippe futura libera pendent, qui non tantum res corporeas, sed etiam mentes creatas regit & moderatur; atqui Deus non tantum &c. non minus enim mentium, quam corporum supremus est Dominus; ergo, &c.

2. Deus ea certo cognoscit, quæ vel ipse facturus est, vel permissurus: atqui futura libera vel ipsa facturus est Deus, vel permissurus, ergo, &c.

3. Deus est prorsus immutabilis: atqui talis non esset si futura libera ab æterno non cognosceret, sed duntaxat quando fiunt. Ille enim non est immutabilis, qui novas singulis instantibus cognitiones acquirit: atqui nisi Deus futura etiam libera ab æterno prænosceret, novas singulis momentis cognitiones acquireret: siquidem singulis instantibus novæ quædam actiones liberæ existere incipiunt; ergo, &c.

4. Si futura libera non cognosceret Deus, maxime quia non essent intelligibilia, atqui id falsum est. Ab actu enim ad posse valet consecutio: atqui futurorum liberorum intelligentiam nonnullis in hominibus divinitus extitisse, testantur Historiæ. Hinc præclara illa Tertulliani verba: *Præscientia Dei tantos habet testes, quan-*

tos fecit Prophetas: (*Lib.* 2. *contra Marcionem*, *cap.* 5.) ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Quidquid a Deo prævidetur, necessarium est; ergo Deus futura libera prævidere non potest.

Resp. Neg. ant. Quod supponit res futuras, iis nullam imponit necessitatem: atqui præscientia divina spectata ut nuda rerum cognitio, a divinoque decreto sejuncta, res futuras supponit. Ut enim ait Hieronymus, (*in cap.* 26. *Jerem.*) *Non ex eo quod Deus scit aliquid, idcirco futurum est; sed quia futurum est, Deus novit.* Præscientia quippe Dei, seorsim a divino decreto spectata, se habet ad res futuras, ut visio mea ad hominem ambulantem; atqui meus aspectus nullam homini illi infert ambulandi necessitatem, sed eum duntaxat supponit ambulantem; idem igitur de præscientia divina existimandum est.

Instab. Illud est necessarium, quod non potest non evenire; atqui res a Deo prævisa non potest non evenire; ergo &c.

Resp. Neg. min. Quod Deus prævidit, certo quidem evenit; sed tamen potest non evenire: ad hoc enim satis est, ut in agente remaneat potestas ab actu præviso abstinendi: atqui in agente &c. illam quippe facultatem nedum destruat, imo adstruit divina præscientia: *Non per ejus scientiam*, inquit Augustinus, *mihi potestas adimitur*, *quæ propterea mihi certior aderit*, *quia ille*, *cujus præscientia non fallitur*, *affuturam mihi esse præscivit*. (*Lib.* 3. *de libero arbitrio*, *cap.* 3.)

Instab. Si quod Deus prævidit, posset non evenire, falli posset Dei præscientia: atqui falli non potest; ergo quod Deus prævidit, non potest non evenire.

Resp. Neg. maj. Falli non potest præscientia di-

divina, nisi desinat esse objecto suo consentanea: atqui, licet actus liber a Deo prævisus, possit non evenire, nihilominus præscientia divina semper erit objecto suo consentanea; illius enim objectum est actus ita futurus, ut possit non fieri. Deus quippe videt liberæ voluntati semper affuturam esse potestatem actum prævisum omittendi.

Inst. Si actus a Deo prævisus non eveniret, falleretur illius præscientia; ergo pariter si actus prævisus posset non evenire, falli posset Dei præscientia.

Resp. Neg. conseq. & par. Ratio disparitatis est, quia si non eveniret actus a Deo prævisus tanquam futurus, tunc illius præscientia cum objecto suo non congrueret, ut patet; quamvis autem actus a Deo prævisus possit non contingere, præscientia divina nihilominus cum objecto suo consentit; siquidem illud nihil aliud est, quam actus ita futurus, ut tamen possit non fieri.

Instab. Si quod Deus prævidet, possit non evenire, supponere licet illud revera non evenire: atqui in ea hypothesi falleretur præscientia Dei; ergo si quod a Deo prævisum fuit, posset non evenire, falli posset illius præscientia.

Resp. Neg. maj. Nam fieri non debent duæ hypotheses ex adversa fronte pugnantes: atqui supponi non potest id quod Deus futurum præscivit, non evenire, quin fiant duæ hypotheses simul insociabiles. Perinde enim esset, ac dicere eumdem actum esse simul & non esse eventurum; siquidem idcirco prævisus a Deo fuit actus, quia revera futurus est.

Inst. Ex exiomate, *possibili posito in actu, nihil sequitur absurdi*; idest non repugnat id quod possibile est, fieri existens; ergo si quod Deus futurum prævidit, possit non evenire, supponere licet illud revera non evenire.

Resp. Dist. ant. Si non præcesserit hypothesis opposita, conc., si præcesserit, neg.

Porro in præsenti disputatione præcessit hypo-

thesis opposita; suppositum est enim actum prævisum esse a Deo tanquam futurum; repugnat igitur fingere eum non esse eventurum; quemadmodum ex hypothesi quod Petrum videam ambulantem, absurde supponeretur eum non ambulare.

Obj. 2. Præscientiæ tollit libertatem, si actus prævisi non sunt liberi quando fiunt: atqui actus &c. ergo &c.

Resp. Neg. min. Actus enim prævisi iidem sunt ac si minime prævisi fuerint: eodem quippe modo evenirent, seposita (si fieri posset) Dei præscientia, quo eveniunt, Deo prænoscente, quia ipsius præscientia in hominum actiones nullo modo influit.

Inst. Quod indissolubilem habet connexionem cum alia re antecedente, non est liberum quando producitur; atqui actus prævisi indivulsam habent connexionem cum alia re antecedente, nempe cum divina præscientia; ergo non sunt liberi, quando fiunt.

Resp. Dist. maj. Quod indissolubilem habet connexionem cum alia re antecedente, & quæ non supponit liberam voluntatis determinationem, non est liberum cum producitur, conc. si liberam supponat voluntatis determinationem, neg. Porro actus a Deo prævisi, eo instanti quo fiunt, indivulse quidem colligati sunt cum antecedente præscientia; sed ista liberam supponit voluntatis determinationem: ideo enim futuras hominum actiones prævidit Deus, quia ex libera voluntatis electione sunt aliquando exituræ.

Instab. Præscientia voluntatis determinationem antecedit: ergo eam non supponit.

Resp. Dist. ant. Præscientia divina antecedit determinationem præsentem, conc., futuram, neg.

Itaque præscientia Dei, cum sit ab æterno, præcedit quidem determinationem voluntatis præsentem, minime vero futuram; ab æterno quippe extitura est. Quin imo, juxta nostrum concipiendi modum, præscientiam antecedit futura vo-

voluntatis determinatio. Prius enim concipitur futura, quam prævisa: siquidem, ut ait S. Hieronymus jam laudatus, *Non ex eo quòd Deus scit futurum aliquid, ideo futurum est; sed quia futurum est, ideo Deus novit.*

Obj. 3. Illud rejiciendum est, ex quo nascitur socordia & ignavia in his, quæ ad salutem pertinent: atqui ex divina libere futurorum præscientia nascitur &c. sic enim unusquisque ratiocinari potest; vel Deus prævidit me salvum fore, vel damnandum; si prius, sive bene, sive male vixerim, in tuto est salus; si posterius quidquid fecerim, certa est damnatio; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Deus enim non tantum res futuras prævidet, sed etiam varias causas ex quibus pendent ut existant: atqui inter causas & instrumenta a quibus pendet salus, numerantur labor, sollicitudo, bona opera, sine quibus salus nec obtineri, nec a Deo prævideri potest. Standum est igitur huic B. Petri monito: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* (2. *Epist. cap.* 2. *v.* 10.)

Præterea cum ad res etiam temporales pertineat divina præscientia, earum omnem curam abjiciendam esse ex præfato argumento sequeretur; longe tamen aliter sese gerere homines testatur experientia.

1. Cum aliquem in morbum incidunt, advocant Medicos, ingratas potiones hauriunt, & nihil omittunt, ut sanitatem recuperent: atqui tamen hæc cura esset inutilis, juxta propositam objectionem; sic enim argumentari licet: vel Deus prævidit ægrotum esse moriturum, vel non; si prius, de sanitate minime curandum est; si posterius, prorsus supervacaneum est confugere ad Medicos.

2. Homines ut divitias comparent, nihil laboris, nihil diligentiæ prætermittunt: atqui tamen id foret inutile, vel enim Deus prævidit illos futuros esse divites, vel non futuros: si 1. haud dubie

bie erunt divites, etiamsi desidia torpeant; 2. nequicquam ad opes acquirendas desudant.

3. Vel prævidit Deus aliquem fore doctum, vel non fore: si prius, non potest non fieri doctus, etiam sine ullo studio; si posterius, vanus est omnino labor. Ex iis patet quam ridicula sit difficultas mox opposita.

ARTICULUS II.

De Medio *Scientiæ Divinæ*.

Medium scientiæ divinæ illud dici solet, in quo Deus ea videt, quæ cognoscit. De medio in quo Deus futura libera perspiciat potissimum disputatur inter Thomistas & Molinistas; quæ controversia ex diversis ipsorum circa gratiæ vim & efficaciam sententiis orta est.

1. Thomistæ docent præmotionem physicam cujuslibet actionis esse causam efficacissimam, & cum voluntatis consensu certo conjunctam. Quapropter eamdem hanc præmotionem, vel potius absolutum illius concedendæ decretum, assignant tanquam *medium*, in quo Deus futura quælibet libera prævideat. Sic v. g. Deus liberam S. Petri conversionem futuram ab æterno prævidit in decreto Petrum ad conversionem efficaciter præmovendi: hujusmodi vero decreta vocantur *prædeterminantia*.

2. Ludovicus Molina ejusque sectatores, omnem gratiam ex se efficacem, quasi libertatis inimicam, rejiciunt, nec aliam admittunt, quam versatilem, quæ ad voluntatis nutum est flexibilis, ita ut nunc suum effectum consequatur, nunc eodem fraudetur pro voluntatis arbitrio; cum igitur hæc gratia certam non habeat cum futuris liberis connexionem, ea non prænoscit Deus concedendæ illius gratiæ decreto, sed vel in ipsis, vel in voluntate creata, ad hoc vel illud aliquando esse conversa. Qua de controversia sit sequens propositio.

PRO-

PROPOSITIO.

Deus determinationes quascumque libere futuras videt suis in decretis efficacibus.

Prob. 1. Vel Deus in efficacibus suis decretis videt determinationes libere futuras, vel in voluntate creata, vel in seipsis, ut statuunt Molinistæ: atqui duo posteriora dici nequeunt: non 1. voluntas enim in se spectata, mera est facultas ad hoc vel illud indifferens & flexibilis, variarumque & oppositarum determinationum capax. Quantumvis igitur Deus intimam voluntatis naturam scrutetur, non detegit quid, præ ceteris, electura sit. Deus quippe in voluntate humana deprehendere non potest, nisi quod in ea est: atqui in voluntate humana, ante ipsius determinationem, non est electio unius præ alio, sed mera ad utrumque *indifferentia*, in qua actus nonnisi possibilis videri potest. *Quædam causæ sunt*, ait S. Thomas, *quæ se habent ad utrumlibet*, *& in istis causis effectus de futuro nullam habent certitudinem*. (*In* 1. *Dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 1.) Porro voluntas humana, utpote libera, *se habet ad utrumlibet*, ac proinde in ea *effectus*, sive determinationes, *de futuro nullam habent certitudinem*, ideoque non possunt certo cognosci: ergo 1. Deus in voluntate creata non videt determinationes libere futuras.

Nec a Deo cognoscuntur in seipsis. Quidquid enim Deus novit, ab æterno præscivit, determinationes vero non existunt nisi in tempore. Quatenus autem spectantur ut possibiles, innumeræ secumque pugnantes esse possunt; siquidem nulla est cujus capax non sit voluntas; ergo 2. &c. Superest igitur ut Deus determinationes libere futuras suis in decretis efficacibus perspiciat.

Prob. 2. In eo Deus futura libera prænoscit, per

per quod vere sunt futura: atqui actus liberi per voluntatis divinæ decretum vere sunt futuri. Ab eo nimirum res habent, ut sint ab æterno futuræ, a quo habent ut existant in tempore: atqui actus liberi habent a voluntate divina, ut existant in tempore: ergo etiam ut ab æterno sint extituri. Hinc docet S. Thomas Deum futura *contingentia*, sive libera, ideo prænoscere, quod sit eorum causa efficiens. *Deus*, inquit, *scit res in quantum est causa rerum; sed est causa non solum necessariorum, sed etiam contingentium; ergo ipse scit non solum necessaria futura, sed etiam contingentia, sive libera*. (*Ad Annibaldum. Lib.* 1. *Dist.* 38. *quæst.* 2. *art.* 4.) Plurima alia Patrum testimonia reperire est apud Theologos Thomistas.

Prob. 3. ex clarissimo Bossuet, cujus ista sunt verba: *Etant impossible que Dieu emprunte rien du dehors, il ne peut avoir besoin que de lui même pour connoître tout ce qu'il connoît. D'où il s'en suit qu'il faut qu'il voie tout ou dans son essence, ou dans ses décrets éternels, & en un mot, qu'il ne peut connoître que ce qu'il est, ou ce qu'il opère, par quelque moyen que ce soit. Que si on supposoit dans le monde quelque substance, ou quelque qualité, ou quelque action dont Dieu ne fût pas l'auteur, elle ne seroit en aucune sort l'objet de sa connoissance; & non seulement il ne pourroit point la prévoir, mais il ne pourroit pas la voir, quand elle seroit réellement existante . . . . . .*

En effet, quelque connoissant que soit un être, un objet même existant n'en est connu que par l'une de ces manieres; ou parce que cet objet fait quelque impression sur lui, ou parce qu'il a fait cet objet, ou parce que celui qui l'a fait, lui en donne la connoissance: car il faut établir la correspondance entre la chose connue & la chose connoissante, sans quoi elles seront, à l'égard l'une de l'autre, comme n'étant point

du

du tout. Maintenant il est certain que Dieu n'a rien au dessus de lui qui puisse lui faire connoître quelque chose. Il n'est pas moins assuré que les choses ne peuvent faire aucune impression sur lui, ni produire en lui aucun effet; reste donc qu'il les connoisse à cause qu'il en est l'auteur; de sorte qu'il ne verra pas dans la créature ce qu'il n'y aura pas mis: & s'il n'a rien en lui même par où il puisse causer en nous les volontés libres, il ne les verra pas quand elles seront, bien loin de les prévoir avant qu'elles soient.

At, inquies, si Deus id tantum noverit quod operatur, ipsi incognitum est peccatum, siquidem illius non est causa efficiens. Difficultatem hanc ita dissolvit Præsul illustrissimus:

Il ne faut, pour résoudre cette difficulté, que se souvenir que le mal n'est point un être, mais un défaut; qu'il n'a point par consequent de cause efficiente, & ne peut venir que d'une cause, qui étant tirée du néant, soit par là sujette à faillir. Au reste, on voit clairement que Dieu sachant la mesure & la quantité du bien qu'il met dans sa créature, connoît le mal (qu'il ne juge pas à propos d'empecher), où il voit que manque ce bien, comme il connoitroit un vuide dans la nature, en connoissant jusqu'où tous les corps s'éntendent. (Traité du libre arbitre, ch. 5.)

Obji. Aliquando nosmetipsi prævidemus, quid in his vel illis circumstantiis actura sit aliorum voluntas; ergo multo magis Deus ex sola voluntatis humanæ consideratione, ad quid sese conversura sit prævidere potest.

Resp. Dist. ant. aliquando prævidemus, id est, conjicimus, conc. ant. id est, certo cognoscimus, neg.

Porro cognitio, qua interdum prævidemus quid nonnullis in circumstantiis aliorum electura sit voluntas, incerta est, meris nititur conjecturis, nec

raro fallitur: at cognitio, qua Deus futuras liberæ voluntatis determinationes prævidet, certissima est ac immobilis. Porro hujusmodi cognitio nitatur necesse est *motivo* certo & immobili. Præterea ideo conjicimus fore ut cujuspiam hominis voluntas in hanc vel in illam partem sese flectat, quia ipsam ad hoc vel illud jam inclinatam & propensam deprehendimus. Si vero a nobis conciperetur ut omnino indifferens, tunc quid præ alio esset electura conjicere nullo modo possemus. Porro ita se habet voluntas libera in se spectata: futuras ergo ipsius determinationes in ipsa Deus ab æterno prænoscere certo non potest.

Aliæ difficultates, quibus impugnatur assertio nostra, eædem sunt, ac eæ quæ adversus præmotionem physicam fieri solent; commodius ergo solventur, ubi de gravissima illa quæstione disputabimus.

ARTICULUS III.

Quotuplex in Deo Scientia admitti debeat.

Scientia Dei, licet ratione sui unica & simplicissima, multiplex tamen distinguitur, juxta nostrum concipiendi modum & pro diversitate objectorum quæ attingit. Res autem aliæ sunt mere possibiles, & nunquam extituræ; aliæ vel olim extiterunt, vel nunc existunt, vel aliquando extituræ sunt. Scientia, qua Deus videt res mere possibiles, dicitur *Scientia simplicis intelligentiæ*, quia in iis versatur, quarum nulla fuit, nec est, nec erit existentia, & quæ ad intelligentiam tantum pertinent. Scientia vero, qua Deus cognoscit res vel quæ fuerunt, vel quæ nunc existunt, vel quæ futuræ sunt, vocatur *Scientia visionis*, quia per eam Deus contemplatur res existentes, & quasi oculis subjectas; ea est celeberrima divinæ Scientiæ divisio.

Sed inter utramque illam Scientiam aliam ad-

mit-

mittunt Molinæ sequaces, quam ideo *mediam* vocitant; eam scilicet, per quam Deus futura libera cognoscit, quæ ab aliqua conditione pendent, qualis est futura Tyriorum & Sydoniorum conversio, si apud eos facta fuissent miracula, quæ Christus apud Judæos fecerat. Scientiæ, inquiunt, suis objectis discriminantur; futura autem libera quæ alicui conditioni illigantur, neque sunt objectum *scientiæ simplicis intelligentiæ*, quæ circa mere possibilia & nunquam extitura versatur; neque *scientiæ visionis*, quæ res citra ullam conditionem extituras attingit. Unde concludunt futura illa conditionalia pertinere ad scientiam aliquam, quæ mediam veluti sedem occupet inter scientiam *simplicis intelligentiæ*, & scientiam *visionis*. Per scientiam *mediam* Deus, tanquam callidus indagator, explorat quid creatura libera in his vel illis circumstantiis factura sit, in formandisque suis decretis ita dirigitur, ut certo finem suum assequatur, libertatemque humanam servet integram. In eamdem vero scientiam invehuntur alii, ut in Philosophia inutilem, in Theologia novam, & SS. Patrum doctrinæ oppositam.

Hæc igitur controversia duplici modo spectari potest; 1. *philosophice*, si nimirum generatim quæratur an quædam sint futura conditionalia, quæ medium locum teneant inter res mere possibiles & res aliquando extituras, ac proinde utrum inter scientiam *simplicis intelligentiæ*, & scientiam *visionis*, interponenda sit media scientia, quæ hujusmodi futura sibi vindicet.

2. Considerari potest *theologice*, & speciatim quatenus connexionem habet cum gratia & prædestinatione. Posteriori illo sensu accepta, quæstio est apud Theologos gravis momenti; sed intra Philosophiæ limites non continetur. Priori autem modo spectata, juris est nostri, totaque ad Philosophos pertinet. Quapropter sit sequens propositio.

PRO-

PROPOSITIO.

Non admittenda est Scientia media.

Prob. Non admittenda est in Deo Scientia media, si accurata & integra sit divinæ Scientiæ divisio in scientiam *simplicis intelligentiæ*, & scientiam *visionis*: atqui accurata est ista divisio; siquidem inter ipsius membra nullum datur medium. Namque duas inter scientias, quæ conjunctim sumptæ complectuntur quidquid est intelligibile, profecto non intercedit alia media: atqui scientia *simplicis intelligentiæ*, & scientia *visionis* simul sumptæ omnia intelligibilia involvunt. Quidquid enim intelligibile est, vel mere est possibile, vel in aliqua temporis differentia existens, id est, aut fuit, aut nunc existit, aut aliquando futurum est: atqui scientia *simplicis intelligentiæ* attingit quidquid est mere possibile, nec unquam extiturum; scientia autem *visionis* circa ea omnia versatur, quæ vel extitere, vel existunt, vel extitura sunt; ergo, &c.

Et vero, si inter utramque præfatam scientiam, media quædam esset admittenda, maxime scientia conditionaliter futurorum, ut volunt adversarii: atqui hujusmodi scientia ut media haberi non potest. Nam conditio, ex qua pendent hæc futura, vel ponenda est, vel non; si 1. ipsa vere sunt futura, & ideo pertinent ad scientiam *visionis*; si 2. tunc nunquam existent, & mere possibilia sunt, proindeque ad scientiam *simplicis intelligentiæ* referenda: accurata igitur & integra est divinæ Scientiæ divisio in scientiam *simplicis intelligentiæ*, & scientiam *visionis*; ergo prorsus inutilis est scientia quæ dicitur *media*, & proinde non est admittenda.

Sol-

Solvuntur objecta.

Obj. Idem ferendum est judicium de ceteris conditionaliter futuris, ac de Davidis Sauli traditione, si apud Ceilanos commoratus fuisset; & de conversione Tyriorum & Sydoniorum, si apud eos facta fuissent eadem miracula, quæ apud Judæos: atqui futura hæc conditionalia ad objectum vel scientiæ *simplicis intelligentiæ*, vel scientiæ *visionis* revocari non possunt; ergo nec alia conditionaliter futura.

Resp. Neg. min. Traditio Davidis, & conversio Tyriorum ad objectum *simplicis intelligentiæ* revocantur. Cum enim nec David apud Ceilanos esset remansurus, nec apud Tyrios patranda essent miracula, nunquam extitura fuit vel traditio Davidis Sauli, vel conversio Tyriorum, ac proinde utraque mere possibilis fuit: atqui res mere possibiles objectum scientiæ *simplicis intelligentiæ* constituunt; ad illud igitur pertinebant & traditio Davidis, & Tyriorum conversio.

Inst. Quod futurum est, distinguitur a possibili: atqui traditio Davidis futura erat: Davidi enim Deum interroganti, an ipsum Sauli traditurі essent Ceilani, si apud eos diutius moraretur, respondit Deus: *Tradent te*. (*Lib.* 1. *Reg.* 23.) ergo traditio Davidis non erat mere possibilis.

Resp. Dist. maj. Quod futurum est vere distinguitur a possibili, conc. quod futurum est sub conditione non ponenda, neg. Futurum enim quod ab aliqua conditione pendet, se habet ut conditio ex qua suspenditur: atqui conditio nunquam ponenda, vere non est futura, sed in possibilium numero remanet; ergo & futurum huic conditioni illigatum. Porro conditio, ex qua pendebat traditio Davidis, nunquam ponenda fuit; siquidem David apud Ceilanos non erat longiores moras nexurus; ergo ipsius traditio non e-

erat vere futura, sed mere possibilis, & nihil amplius.

Instab. Vehementer timuit David, ne a Ceilanis Sauli traderetur: atqui non tantopere timuisset, si ipsius traditio fuisset mere possibilis. Periculum enim possibile duntaxat metum viro forti non incutit; ergo Davidis traditio non fuit mere possibilis.

Resp. Neg. min. Quamvis enim Davidis traditio statum meræ possibilitatis non fuerit prætergressa, ne tamen contingeret merito veritus est: Deus quippe eum certiorem fecerat, tum de infensissimo Saulis odio, tum de intimis Ceilanorum animis, a quibus prodendus fuisset, si inter eos diutius versaretur. Eas ob causas proditionem non ut mere possibilem, sed ut sibi impendentem spectavit. Eam igitur non immerito veritus, suæ saluti fuga sapienter consuluit.

Instab. Si Tyriorum conversio fuisset mere possibilis, non levius puniendi essent in judicio, quam Judæi; quod enim mere est possibile, pœnæ imminutionem non meretur: atqui tamen contrarium sic testatur Christus: *Verumtamen dico vobis; Tyro & Sydoni remissius erit in die judicii, quam vobis;* (*Matth.* 11. 22.) ergo Tyriorum conversio non erat mere possibilis.

Resp. Neg. maj. Cum Tyriis & Sidoniis in die judicii benignius aget Deus, quam cum Judæis, non quia vere futura erat Tyriorum & Sydoniorum conversio; siquidem nunquam ponenda erat conditio, ex qua pendebat, & nulla apud eos Christus fecit miracula; sed quia minus excæcati, & minus obdurati erant, quam Judæi; qui Christi consilia & prodigia pertinacius contempsere: *Non ergo erant sic excæcati oculi*, inquit Augustinus, *nec sic induratum cor Tyriorum & Sydoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti* (*Judæi*) *signa vidissent.* (*Lib. de Dono persever. cap.* 14.)

CA-

CAPUT XI.

De Providentia Divina.

Providentia divina definiri potest voluntas & agendi ratio constans, qua Deus singula proprios ad fines, omnia vero ad finem universalem, nempe gloriam suam, dirigit. Magnificam providentiæ divinæ notionem sic exhibet auctor clarissimus operis, cui titulus: *Action de Dieu sur la créature.*

L'idée de la Providence nous représente un être, qui au milieu de ce vaste univers, dispose, gouverne, arrange, regle tous les événemens, place chaque créature dans son rang, donne à chacune sa mesure, son degré, sa proportion, les régit toutes par une opération aussi douce que puissante, opére dans les hommes, & par les hommes, tout ce qu'il lui plaît, quand il lui plaît, en la maniere qu'il lui plaît, n'est jamais arrêté dans ses desseins par l'opposition & la dureté des cœurs, parce qu'il a en main une auctorité toute puissante pour les incliner de quelque coté qu'il veut; conduit enfin & chaque créature en particulier, & toutes en général, à leur fin, & les réunit pour composer ce grand tout, dont il a formé dessein dans la profondeur de ses conseils.

De providentia divina tribus in articulis disseremus; in 1. ipsius existentiam vindicabimus; in 2. agemus de illius in rerum omnium conservatione; in 3. de ejusdem in liberas creaturarum actiones influxu. De creatione alibi jam satis dictum fuit.

ARTICULUS PRIMUS.

De Providentiæ existentia.

Divinam Providentiam sustulerunt 1. Epicurei, qui fortuitæ atomorum concursioni ea omnia tribuebant, quæ in mundo contingunt. 2. Stoici qui ferream & ineluctabilem quandam necessitatem, ex siderum motu & influxu exortam inducebant, quæ non solum res creatas, sed & ipsum Deum constringeret. Eam *fatum* appellarunt. 3. Deistæ plurimi, qui Deum subliniorem & præstantiorem esse affirmant, quam ut rebus humanis providere, ad illarumque curam sese demittere velit.

Turpissimus ille error suam ab hominis corruptela ducit originem, qui supremum aliquem judicem, criminis ultorem agnoscere reformidat, ne importuna illa cogitatione suis in libidinibus turbetur. Idcirco Vellejus epicureus sic conqueritur apud Tullium. (*Lib.* 1. *de natura Deorum*): *Imposuistis cervicibus nostris sempiternum Deum, quem noctes & dies timeremus. Quis non timeat omnia providentem & cogitantem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum & plenum negotii Deum?*

PROPOSITIO.

Deus rebus omnibus providet.

Prob. 1. Ex Sapientia divina, quæ postulat ut Deus mundi a se conditi gubernacula teneat, suasque creaturas legibus moderetur. Hæc enim exigit ut ille omnia regat & administret, qui tum fines optimos, tum vias iis obtinendis maxime accomodatas novit; atqui Deus tum, &c. Nullus quippe alius, præter ipsum mundi auctorem,

rem, satis exploratas suæque voluntati subditas habet rerum naturas, nullus satis percallet motus & cognitionis principia, ut queat causarum vim suspendere vel dirigere, intimis hominum cordibus consilia injicere aut evellere, cupiditatum impetus coercere, Imperia firmare aut evertere, cavere ne quid damni ex partium vitiis patiatur immensa rerum summa, tandem ex ipso malo bonum deducere; ergo Sapientia divina postulat, ut Deus universum orbem sua providentia temperet & moderetur.

Prob. 2. ex bonitate divina: hæc enim sola Deum impellere potuit ad creaturas e nihilo educendas: atqui creaturarum curam adjicere, easque temeritati & fortunæ committere a divina bonitate prorsus alienum est. *Quis enim operator*, inquit S. Ambrosius, *negligat operis sui curam? Quis deferat aut destituat, quod ipse condendum putavit?* (*Lib.* 1. *de offic.* c. 13. *pag.* 14. *tom.* 2. *nov. edit.*) Præterea parentes, natura duce, liberorum curam suscipiunt; ipsæmet belluæ suos fœtus non deserunt, sed de iis enutriendis sollicitæ sunt: quanto magis credendum est Deum optimum, rerum quas condidit curam gerere! absurde enim diceretur Deum eos sensus deposuisse quos aliis indidit, & naturalem propensionem exuere, quam suis creaturis impressit.

Prob. 3. Quia, sublata Providentia, eodem ictu subvertitur & Divinitas, & omnis Religio. 1. Quidem Divinitas: namque *si est Deus*, ait Lactantius, *utique providens est; alterum sine altero nec posse prorsus nec intelligi potest:* (*Lib. de ira Dei*, *cap.* 9.) Idcirco vel nullum existere Deum, vel eum esse providum, ita semper invaluit persuasio, ut asserere non dubitaverint veteres Philosophi, Epicurum tollendo Providentiam, Deos revera sustulisse, & inane tantum Divinitatis nomen reliquisse, ut imperitis fucum faceret, & Atheismi infamiam declinaret; ergo 1. sublata Providentia, tollitur Divinitas. 2.

Tol-

Tollitur & omnis Religio, juxta illud Augustini; *si Dei Providentia non præsidet rebus humanis, nihil est de Religione satagendum.* (*Tom. 8. pag.* 67. *lib. de utilit. credendi.*) enim vero *si negligit Deus in hoc sæculo genus humanum*, inquit Salvianus, *cur ad Cælum quotidie manus tendimus? cur ante altaria supplicamus?* (*Lib. 2. de Provid.*) id senserat ipse Tullius, cujus ista sunt verba: *Si Dii neque possunt nos juvare, nec volunt; nec curant omnino, nec quid agamus animadvertunt.... quid est quod illos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibemus?* (*Lib.* 1. *de natura Deorum*, *n.* 1.) ergo 2. rejecta Providentia, ruit omnis Religio.

Prob. 4. ex constanti ordine, qui in orbe universo elucet. In mundo enim conspiciuntur effectus constantes & uniformes, cujusmodi sunt siderum conversiones, quatuor anni tempestates sibi invicem succedentes, dierum & noctium vicissitudines, corporum viventium generatio, eadem in plantis & animalibus organica dispositio, earumdem specierum propagatio; stat quoque perpetuum inter elementa æquilibrium, quo destructo, confunderentur omnia & interirent: atqui effectus tam æquabiles summam rerum moderatricem Providentiam arguunt. Cum enim nihil sit quod ex natura sua certam constantemque habeat perpetuitatem, necesse est tanti ordinis conservationi præesse mentem aliquam summe intelligentem, omniaque potentissima & occultissima virtute moderantem. Si quis enim Rempublicam bene constitutam videat, ubi ordinate gerantur omnia, ubi artes feliciter excolantur, ubi civibus necessaria quæque provideantur; hujusmodi profecto Rempublicam nullo rectore administrari nemo sanus crediderit; ergo pariter, cum pulcherrimam istam orbis compagem oculis usurpamus, in qua tanta rerum varietas, tantaque simul constantia deprehenditur; in qua singula suos ad usus aptissima sunt; in qua tandem post

mul-

multa annorum millia, nihil de ornatu & ordine pristino decesserit, quis, nisi plane desipiat, inficiari ausit huic mundo præesse Numen summe providum?

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Si Deus esset summe providus, non permitteret viros probos multiplici malorum genere vexari, & improbos omnibus deliciis affluere: atqui tamen hæc permittit Deus; ergo &c.

Resp. Neg. maj. Non sine causis enim æquissimis erga justos ita se gerit Deus. 1. Ut eos cautiores & humiliores efficiat: quod in Apostolo videre est. Eum quippe importunis exagitari motibus permisit Deus, ne ex revelationibus & miraculis sibi concessis insolesceret. 2. Ut variis quibus jactantur ærumnis, a mundo diligendo deterreantur, & *meliorem patriam appetant, id est cælestem.* (*Hebr.* 11.) 3. Ut levia ipsorum peccata, quæ severius in altero sæculo plecterentur, in præsenti vita pœnis expientur mitioribus. 4. *Justorum animæ in manu Dei sunt ..... & si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur; quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se.* (*Sap.* 3. *v.* 1. *& seq.*) 5. Bona quibus abundant impii, non vera sunt bona; quia in eorum perniciem vertuntur. Hinc asserit Augustinus *nihil infelicius esse felicitate peccantium, quia pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior, roboratur.* (*Epist.* 138. *t.* 2. *pag.* 416.)

Objic. 2. Si Deus minutissima quæque curaret, suam deprimeret majestatem, sicut & Regum nostrorum vilesceret dignitas, si ad infima quæque descenderent; ergo, &c.

Resp. Neg. ant. Si enim Deum vel tenuissima curare dedeceret, ea creare pariter indecorum esset & indignum: atqui tamen ea Deus creavit; er-

ergo ipsis prospicere Deo turpe non est. Divinam providentiam, vel ad minutissima pertinere testantur sacræ Scripturæ: *Dat enim escam pullis corvorum invocantibus eam.* (*Ps.* 146. *v.* 9.) *Respicite volatilia cæli*, inquit Christus, *quoniam non serunt .... & Pater vester cælestis pascit illa.* (*Matth.* 6. *v.* 26.) *Nonne duo passeres esse væneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?* (*Ibid. c.* 10. *v.* 29.)

Ideo autem terreni Principes rerum tenuissimarum curam abjiciunt, aliisque committunt, quod nimia negotiorum multitudine obrueretur humanæ mentis imbecillitas. Unde fieret, ut levioribus distracti majora negligerent: sed Deus, cujus mens & potentia pariter sunt infinitæ, ad minima quæque descendit; omnia uno videt intuitu; omnia simplici & efficacissimo voluntatis actu, sine labore, sine sollicitudine, sine felicitatis suæ detrimento disponit.

Objic. 3. Si actus hominum divinæ providentiæ subjicerentur, prorsus extingueretur humana libertas: atqui tamen unusquisque sibi conscius est libere se gerere; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Providentia quidem *attingit a fine ad finem fortiter*; sed *disponit omnia suaviter*. (*Sap.* 6. 8.) Id est, res universas ita moderatur & temperat, ut singularum naturæ & conditioni se se accommodet: atqui ea est hominis proprietas & conditio, ut libere agat; ergo Providentia nullam actibus humanis infert necessitatem. Et vero Deus providus actiones hominis eo modo extituras esse ab æterno decernit, quo existunt in tempore: atqui in tempore libere fiunt, ut quisque sibi conscius est; ergo eas libere futuras decernit sapientissimus omnium rector & moderator.

Objic. 4. Si Providentia divina orbem universum regeret, nihil esset fortuitum: atqui tamen plura sunt fortuita; ergo, &c.

Re-

Resp. Dist. maj. Nihil esset fortuitum respectu Dei, conc. respectu hominum, neg.

Itaque multa quidem respectu hominum fortuito contingunt, quia varias ignorant causarum secundarum concursiones, quæ ideo, præter opinionem nostram, evenire possunt. Hæc autem ignorantia in Deum non cadit; nihil igitur fortuito respectu Dei accidere potest.

Objic. 5. Si Providentia Dei ad omnes & singulos effectus pertineat, divinæ voluntati injuriosus est, qui in gerendis negotiis, & suam, & aliorum curam interponit; qui morbo laborans sanitatem in remediis quærit: hæc enim omnia Deo summe provido committenda sunt: falsum consequens; ergo & antecedens.

Resp. Neg. maj. Non exigit enim divinæ providentiæ fides, ut consuetas humanæ prudentiæ regulas omittamus; imo Deum tentare diceretur, qui ab iis legibus recederet. Id unum postulatur ab eo qui divinam agnoscit providentiam, ut scilicet totum sui laboris eventum Deo permittat & referat, ipsiusque voluntatem in omnibus animo submisso veneretur.

Objic. 6. Ex principiis nostris sequeretur contra voluntatem Dei non peccasse, qui olim eventu fortuito, v. g. ignis probatione, vel singulari certamine, causas civiles aut capitales definiebant; ipsis enim persuasum erat, & quidem, juxta nos, merito, non permissurum esse Deum summe providum, ut eventus nocenti faveret, & innocentis expectationem falleret: atqui tamen hæc agendi ratio, non tantum prudentiæ regulis, sed etiam multis Ecclesiæ decretis damnatur; ergo Deus omnes & singulos eventus sua providentia non disponit.

Resp. Neg. maj. Quamvis enim omnes & singulos eventus disponat Providentia divina, non licitum est a Deo postulare miraculum indebitum & minime necessarium: jam vero qui ex hujusmodi probationum eventu sontis & insontis

tis cognitionem expectat, a Deo poscit 1. miraculum; nulla quippe est connexio naturalis inter victoriam v. g. in singulari certamine relatam, & victoris ipsius innocentiam; 2. miraculum indebitum, quia illud a Deo promissum nullibi legimus; 3. minime necessarium: suppetunt enim viæ naturales, juridicæ nimirum inquisitiones, quarum ope nocentes ab innocentibus secernantur: eas autem adhiberi jubet Deus in causis tum civilibus, tum capitalibus; ergo ex eo quod omnes & singuli eventus divinæ subjiciantur providentiæ, perperam concluditur non peccasse eos, qui objectas probationes adhibuerunt, ut illarum exitu sontes ab insontibus secernerentur.

Instab. Si Deus, ut contendimus, sit summe providus, velle non potuit ut in singularis certaminis probatione caderet innocens; adversus divinam providentiam ergo non peccabant, qui hujusmodi probatione utebantur.

Resp. Dist. ant. Re quidem vera, sive nocens, sive innocens in certamine succumbat, neutrum sine speciali Dei voluntate contingere potest; siquidem testatur Scriptura, sine Dei imperio, nec arborum folia, nec capitis nostri capillos in terram decidere: verum unde norunt adversarii, unde probant Deum velle non posse, ut in singulari conflictu pereat innocens; numquid Dei fuerunt consiliarii, ut tanta cum securitate pronuntient, quid Deum velle deceat vel non deceat? Standum est igitur humanæ prudentiæ regulis, meritoque probationes de quibus agitur, præsertim vero singularia certamina, jure tum naturali, tum divino semper vetita, deinceps legibus humanis, & quidem sub pœnis gravissimis, omnino prohibita sunt.

AB-

ARTICULUS II.

De Providentia Divinæ in rerum creatarum conservationem influxu.

Actio Dei, qua *in principio creavit cælum & terram*, qua dixit, *fiat lux*, *fiat firmamentum*, *fiant luminaria*, ceteraque omnia ex quibus universa hæc mundi compages coalescit; *creatio* dicitur, inspecto primo momento, quo hæc omnia existere cœperunt. Sed cum *verbum* illud seu divinæ voluntatis actus, non statim transeat aut excidat, sed perpetuam habeat virtutem, idcirco non ad primum duntaxat momentum referri debet, verum etiam ad subsequentem rerum durationem pertinet, tuncque appellatur *conservatio*. Hæc itaque non aliud est quam ipse creationis actus, quatenus non primo solum momento, sed subsequentibus etiam temporibus viget. Cum enim Deus ab æterno tulerit decretum quo rerum & initium & durationem definivit, ejus decreti efficacia, substantiæ creatæ per tempus a Deo constitutum in accepta existentia perseverant. Hæc conservatio dicitur *directa & positiva*.

Sunt vero qui putent substantiam eo ipso quod existentiam acceperit, in ea ex seipsa, & citra ullius causæ adminiculum permaneret, ita ut non possit in nihilum redire, nisi positivo Dei decreto destruatur. Hujusmodi conservatio dicitur *indirecta & negativa*; sed potius dicenda est nulla. Si enim substantiæ creatæ ex seipsis, & quidem solis, in existentia semel accepta permaneant, donec eas Deus voluntate positiva destruat, ipsas conservare vere dici non potest: sicut qui domum non combureret, vel qui hominem non occideret, nonnisi inepte diceretur domum vel hominem conservare.

PRO-

PROPOSITIO I.

Deus res creatas positive *conservat.*

Prob. 1. Substantiæ creatæ vel nunc existunt, quia ipsis *essentialis* est existentia, vel quia modo existebant, vel quia existentiam iis positiva voluntate Deus prorogat: atqui duo priora dici nequeunt. 1. Quidem existentia substantiis creatis non est *essentialis*, quia non existunt a se, sive ex necessitate suæ naturæ. 2. Non ideo nunc existunt, quia modo existebant; cum nulla sit necessaria connexio inter varia quibus existunt momenta; alioquin destrui omnino non posset; ergo ideo nunc pergunt existere, quia Deus voluntate positiva ipsis existentiam jugiter prorogat; ergo, &c.

Prob. 2. Deus ab æterno decretum tulit de mundo procreando, vique hujus decreti mundus e nihilo prodiit in tempore. Porro decretum illud vel subsequentia, quibus extiturus est mundus, tempora complectitur, vel ab iis, ut ajunt, *abstrahit:* atqui posterius dici nequit; a Deo enim exulat omnis *abstractio;* ergo præfatum decretum ad singula pertinet momenta, quibus mundus est duraturus; ergo ab æterno Dei decreto, sive voluntate, fluit existentia mundi continuata; ergo Deus mundum *positive* conservat.

Et sane, vel Deus vult me hodie existere, vel non vult, vel circa meam existentiam suspensus est ac fluctuans: atqui duo posteriora defendi nequeunt; non 1. quia si me existere nollet Deus, certo hodie non existerem: non 2. quia nefas est aliquam in Deo animi suspensionem admittere: superest igitur ut me existere velit Deus: atqui velle & facere sunt quid idem apud Deum; ergo positivæ Dei actioni tribuenda est hodierna mea existentia.

Prob.

Prob. 3. Ea debet admitti Dei in res omnes creatas dominatio, qua major excogitari nequeat, illæsis ipsius attributis: atqui sententia, quæ conservationem positivam defendit, longe majus dominium Deo vindicat, quam opposita. Creaturæ enim multo magis a Deo pendent, si ex propria virtute subsistere non valeant; ergo &c.

Quam defendimus doctrinam manifeste sic prædicat S. Augustinus; *Creatoris potentia & omnipotentis virtus causa subsistendi est omni creaturæ. Quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret.* (*Lib.* 4. *de Genesi ad litteram, cap.* 11.)

PROPOSITIO II.

Conservatio ex parte Dei non est actio a Creatione diversa.

Prob. Conservatio ex parte Dei a creatione non differt, si Deus eadem aut simili actione creat & conservat substantias a se distinctas: atqui Deus eadem aut simili, &c. Quomodo enim Deus creat substantias? nonne volendo ut certo quodam tempore incipiant existere? Cum enim omnipotentis Dei voluntas sit efficacissima, omnia ipsius opera per solam ejus voluntatem existunt: atqui pariter Deus res creatas conservat, quatenus vult ut sua in existentia perseverent, ergo, &c. Et vero Deus ab æterno non tantum decrevit, ut substantiæ definito tempore inciperent existere; sed etiam ut per certum temporis spatium existerent; vique hujus decreti in eas jugiter influente, pergunt existere; ergo Deus eadem aut simili actione substantias a se distinctas & creat, & conservat; ergo, &c.

Doctrinam hanc sic tradit Catechismus Concilii Tridentini, opus sane communi suffragio comprobatum: *Quemadmodum omnia ut essent*

Creatoris summa potestate . . . effectum est : ita etiam nisi conditis rebus perpetua ejus providentia adesset, atque eadem vi, qua ab initio constitutæ sunt, servaret, statim ad nihilum reciderent ; atque id Scriptura declarat, cum inquit : Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses ? (*In artic.* 1. *symb.*)

Solvuntur objecta .

Objic. 1. Unaquæque res in existentia semel accepta perseverabit, modo nulla sit ex parte Dei actio qua destruatur ; ergo conservatione positiva non indiget.

Resp. Neg. ant. Creatura enim non minus est a Deo dependens in subsequentibus existentiæ momentis, quam in primo ; non potest igitur existentiam semel acceptam retinere, nisi Deus velit : atqui in Deo velle & agere, sunt unum & idem ; ergo creaturæ in existentia permanere nequeunt, sine Dei actione in ipsas jugiter influente ; qua proinde sublata, in nihilum statim relaberentur, ex quo sine divina voluntate nunquam exiissent.

Instab. Creatura, utpote *contingens*, ad existendum vel non existendum est indifferens ; ergo semel existens, eo ipso perget existere, donec a Deo *positive* destruatur.

Resp. Dist. ant. Creatura est indifferens ad existendum vel non existendum, eo sensu quod possit existere, vel non existere, conc. eo sensu quod semel existens, sua virtute, & citra ullam Dei actionem, pergat existere, neg.

Itaque creatura est indifferens ad existendum vel non existendum, eo sensu quod possit existere vel non existere : non vero quasi semel existens, ex sua virtute, & citra ullam Dei actionem, pergat existere. Cum enim nullum ens possit absque sufficienti ratione existere, dari debet hujusmodi ratio, non tantum in primo quo exi-

ste-

stere incepit momento, sed etiam in secundo, tertio & aliis subsequentibus: atqui hæc ratio deduci non potest ex ipsa creaturæ natura, quia semper est *contingens*; aliunde ergo repeti non debet, quam ex continua & efficaci creatoris voluntate.

Et vero si creaturæ sunt indifferentes ad existendum vel non existendum: non majorem ad futuram existentiam vim ex se habent, quam ad sui destructionem; tam igitur influxu externo ipsis opus est, ut sua in existentia permaneant, quam ut destruantur: porro concedunt adversarii, creaturas non posse sine actione divina extingui; ergo eamdem hanc actionem postulant, ut in accepta existentia perseverent.

Instab. Res in aliquo statu constituta, in eodem permanet, donec ab eo per causam aliquam externam deturbetur. Sic corpus tandiu quiescit, donec ab altero moveatur; ergo creatura semel existens non cessabit existere, donec a Deo *positive* destruatur.

Resp. Dist. ant. Res in aliquo statu constituta, in eodem permanet, posita Dei conservatione; conc. seposita Dei conservatione, neg. Sensus enim axiomatis est, rem in suo statu permanere propter immutabilitatem divinæ voluntatis, quæ rem in eodem statu conservat, donec occasione causæ alicujus externæ eum immutet. Si corpus non desinit quiescere, donec alterius corporis impulsu moveatur; ita etiam servat natura leges a Deo sancitas: sed præfatum axioma non intelligendum est, seclusa Dei conservatione. Ea quippe sublata, corpus non existeret, nec proinde moveretur, aut quiesceret. *Efficacem enim potentiam suam*, inquit Augustinus, *si rebus creatis subtrahat* (*Deus*) *nec progredi poterunt .... nec prorsus in eo quod creatæ sunt, aliquatenus permanebunt* (*Lib.* 22. *de civ. Dei*, *cap.* 24. *n.* 2.).

Objic. 2. Opus arte factum, sine artifice subsi-

sistit: ergo multo magis opus naturale stare potest citra perpetuum sui auctoris influxum.

Resp. Neg. conseq. & parit. Ratio disparitatis est, quia materiam in quam operatur, non efficit artifex; sed eam ab alio factam certo modo tantum informat. Contra vero Deus materiæ & omnium substantiarum causa est effectrix; quæ quidem causa, postquam dedit esse, feriari non potest, sed jugi influxu conservat quod primum dedit, ut sic testatur Christus Dominus, *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. (*Joan.* 5. 17.) Nulla igitur instituenda est comparatio Deum inter & quemlibet artificem, cujus semper limitata est potentia. *Neque enim sicut structor ædium*, inquit Augustinus, *cum fabricaverit abscedit, atque illo cessante atque abscedente, stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit*. (*Lib.* 4. *de Genesi ad litteram*, *cap.* 11.)

Objic. 3. Per creationem res quæ non existebat, incipit existere; per conservationem vero res jam existens pergit existere: ergo creatio & conservatio inter se differunt.

Resp. Dist. conseq. Inter se differunt ratione creaturæ, conc. ratione Dei, neg.

Creatio & conservatio discrepant quidem ratione creaturæ. Cum enim creatur, nihil est: dum autem conservatur, jam e nihilo educta pergit existere; sed minime differunt ratione Dei; siquidem eadem aut simili actione & voluntate, ut probavimus, Deus creat & conservat. Unde sic habet Malebranchius: *Si le monde subsiste, c' est donc que Dieu continue de vouloir que le monde soit. La conservation des créatures n' est donc, de la part de Dieu, que leur création continuée. Je dis, de la part de Dieu qui agit. Car de la part des créatures, il y paroit de la différence, puisqu' elles passent du néant à l' être par la création, & par la conservation elles continuent d' être. Mais en Dieu la conservation*

&

& la création ne sont qu'une même volonté. (VII. Entret. métaph. n. 7.)

Instab. Si creatio & conservatio ratione Dei non differrent, Deus res creatas conservans, eas singulis instantibus & nihilo educeret: atqui id absurdum est; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Neque enim dicimus creationem & conservationem ex parte Dei non discrepare, quia Deus res creatas conservans eas singulis momentis e nihilo extrahit, ita ut creaturarum duratio ex iteratis & repetitis existentiis coalescet. Quo pacto enim homo in instanti B. educeretur e nihilo, cum jam existeret in instanti A: sed creationem & conservationem ratione Dei non differre dicimus, quia eadem voluntas Dei omnipotentissima, quæ fecit ut res primo existeret, efficit etiam ut res per totum suæ durationis spatium, a Deo constitutum, existat. Uno verbo, Deus vult existentiam continuari, non iterari.

Et vero creationem & conservationem eamdem esse ex parte Dei actionem, quamvis altera substantiam e nihilo educat, non autem altera, ista comparatione suaderi potest: Nonne eadem est luminis in meos oculos actio in primo & secundo instanti, quamvis in primo tenebras, in quibus versabar, depellat, in secundo autem e tenebris me non liberet, siquidem in eas non reciderám? Sic homo in momento B e nihilo non educitur, utpote qui in momento A jam existebat; sed in nihilum rediisset in istanti B, nisi adfuisset vis efficax Dei conservantis.

ARTICULUS III.

De providentiæ Divinæ in creaturarum actiones influxu.

Præmonendum statim præcipuam quæstionem non moveri de creaturis corporeis. Res quippe vi-

videtur apud omnes recentiores Philosophos in confesso posita, Deum esse omnium, qui in corporibus deprehenduntur, motuum causam efficientem; potissimum igitur versatur difficultas circa Dei in mentium creaturarum actiones influxum. Vix ulla est tota in Philosophia quæstio, quæ controversiis sit magis obnoxia; qua in pertractanda huncce ordinem instituimus: 1. notiones quasdam generales præmittimus, quarum ope facilius intelligantur variæ ea de re opiniones: 2. præcipuas illas sententias referemus: 3. quænam rejicienda vel admittenda nobis videatur, exponemus.

PARAGRAPHUS I.

Notiones generales præmittuntur.

Providentiæ in creaturarum actiones influxus, appellatur *concursus*. Quo nomine generatim intelligitur auxilium; quod una causa præbet alteri ad agendum. Auxilium vero duplex distinguitur, *naturale* & *supernaturale*.

Supernaturale illud est, quod influit in actiones, quibus æternam felicitatem promeremur, aut quæ ad eam spectant. *Supernaturale* dicitur, quia non conceditur juxta naturæ leges, sed pro creatoris arbitrio, & a *Mediatoris J. C.* meritis pendet. Illud auxilii genus vocatur *gratia*, de qua disserere Theologorum est.

Auxilium *naturale* illud est, quod inservit ad faciendas ordinis naturalis actiones, quales sunt ambulatio, manducatio, &c. quæ ratione sui a Philosophis spectantur, & sine ullo ad vitam æternam respectu, quamvis revera, & juxta doctrinam christianam, omnes ad Deum, tanquam finem ultimum, referendæ sint. Dicitur *naturale*, quia confertur omnibus, juxta leges naturales & ordinarias, ab ipso creatore institutas.

Præfatum utrumque auxilium *externum* est, vel *internum*. Prius est illud, quod extra mentem no-

nostram positum est, ut lex, doctrina, miracula. Posterius est illud, quod ad animam usque penetrat, eumque interius & immediate afficit: tales sunt illustratio intellectus, & voluntatis motiones. Auxilium internum appellatur vulgo *concursus*.

Concursus dividitur in *mediatum* & *immediatum*. Concursus *mediatus* est largitio virtutis, seu potentiæ ad agendum requisitæ. Talis est libertas, vis intelligendi & volendi a Deo nobis insita. Quo sensu horologii opifex dici potest cum eo concurrere ad horas indicandas, quia horologio virtutem dedit horas indicandi. Concursus *immediatus* est conjunctio unius causæ cum alia, quam inter operandum adjuvat. Ille autem posterior duplex etiam distinguitur, nempe *simultaneus* & prævius.

Concursus *simultaneus* est actio unius causæ cum alia, quam adjuvando comitatur duntaxat, non prævenit; seu potius est conjunctio virium, quæ a duobus causis adhibentur, ad efficiendum aliquid. Hujusmodi est duorum hominum concursus ad opus sublevandum.

Concursus *prævius*, qui speciali nomine dicitur *præmotio* vel *prædeterminatio*, est influxus unius causæ in aliam, quam non solum adjuvat inter agendum, sed etiam ad actum impellit & præmovet.

Præmotio vel *physica* est, vel *moralis*. Præmotio *moralis* est incitatio quædam ad agendum, ei similis qua movere & impellere sese mutuo solent homines, nimirum consulendo, adhortando, blandiendo, terrendo, &c.

Præmotio *physica* est actio prævia unius causæ, alteram physice & efficienter applicantis ad actum. Ita Scholæ Magister manum discipuli physice præmovet ad scribendum. Præmotio physica actum ipsum efficit; *moralis* vero ad eum efficiendum tantummodo excitat. Hinc utriusque discrimen.

Pro-

Promotio physica *generalis* est, vel *specialis*. *Generalis* est propensio quædam ab auctore naturæ mentibus nostris insita, qua bonum sive felicitatem nostram prosequimur, & malum fugimus. Præmotio *Physica specialis* ea est, quæ ad unum actum specialem, potius quam ad alium voluntatem applicat.

PARAGRAPHUS II.

De præcipuis Phylosophorum circa concursum divinum Sententiis.

PRIMA SENTENTIA.

Ex veteribus nonnulli, inter quos eminet Durandus Theologus scholasticus, circa annum 1326. factus Episcopus Meldensis, existimarunt Deum nonnisi *mediate* cum creaturis agere; quatenus scilicet expeditam agendi vel non agendi, bene vel male operandi facultatem iis a primo ortu concessit, & jugiter conservat: ut actiones naturæ suæ congruentes pro suo nutu per se exerceant. Unde apud illos Dei concursus a substantiarum creatione & conservatione non est diversus. In eam sententiam invehuntur ceteri omnes Philosophi, contenduntque, præter creationem & conservationem, admittendum esse alium influxum, quo Deus cum ipsis creaturis operetur.

SECUNDA SENTENTIA.

Creaturas omnes indigere auxilio, sive concursu Dei immediato & physico, communis est sententia; de illius vero concursus natura & virtute non levis est inter Philosophos & Theologos controversia.

Molinæ discipuli sentiunt 1. divinum concursum esse tantummodo *simultaneum* sive concomitantem; Deumque in actum duntaxat volunta-

tatis influere, non vero in ipsam voluntatem, quam nec movet, nec determinat, neque ad agendum applicat: sed quo temporis articulo voluntas actum suum elicit, eodem statim præsto est Deus, qui actum illum efficiat; quemadmodum, ut ait Molina, duo equi ad trahendam rhedam ita concurrunt, ut neuter in alterum influat, sed ambo conjunctim rem exequantur. Quo posito, Deus & voluntas creata se habent tanquam duæ causæ parallelæ, eumdem effectum influxu sibi proprio, nec aliunde accepto, simul operantes.

Statuunt 2. divinum concursum generalem esse, vagum & indifferentem ad producendam hanc vel illam actus speciem, bonam vel malam, honestam vel turpem; ita ut penes voluntatem sit eum ad hanc vel illam actionem specialem inflectere, prout ipsi lubet hoc vel illud agere. Sic inquit Molina, calor solis ex se indifferens est ad procreandum animal, vel plantam, ad effectusque particulares operandos non determinatur, nisi per corpora terrestria, quibus fœcunditatem, tanquam causa universalis, impertit. Hoc modo, inquiunt, facile intelligitur humanam libertatem concursu divino nequaquam offendi, nec Deum peccati auctorem fieri. In tuto quidem est libertas, a se enim sola, non autem a Deo voluntas creata determinatur: Deus etiam censeri non potest auctor peccati; ipsius quippe concursus ex se vagus est ac indifferens, neque actui vitioso intervenit, nisi quatenus ad eum operandum a voluntate creata flectitur.

Theologi qui *Augustiniani* dici solent, quia S. Augustini doctrinæ adhærere se profitentur, vulgo docent posse Deum voluntates creatas efficaciter determinare, illæsa earum libertate, idque reipsa efficere in præsenti naturæ lapsæ statu quoad omnes & singulos christianæ pietatis actus; sed existimant hujusmodi *prædeterminationem* locum non habuisse, quandiu stetit naturæ in-

innocentis integritas, neque eam in præsenti statu admittunt quoad naturalis ordinis actiones; quin etiam a divina sanctitate alienum esse putant, ut voluntates creatas Deus ad opera vitiosa physice præmoveat. Statuunt igitur ad hujusmodi actus non requiri, nisi concursum *simultaneum* seu concomitantem, qualis describitur a Molinianis.

Thomistæ sic dicti quia divum Thomam se ducem sequi gloriantur, docent Deum, tanquam causam primam, res omnes a se creatas sigillatim regere, & moderari; ita ut in earum actus non tantummodo influat, sed causas omnes secundas, etiam liberas, physice moveat, determinet & applicet ad singulos ipsarum actus, tanquam instrumenta viva & actuosa, quæ omnem efficientiam motumque suum ab illo jugiter recipiunt. Censent igitur 1. concursum divinum esse prævium, sive quamlibet creaturæ determinationem præcedere, non quidem tempore, sed natura, ut ajunt, & ratione, sicut causa quælibet suo effectu prior est, & sicut actio moventis antecedit motum mobili impressum; 2. concursum esse physicum, id est, efficienter producere quidquid in creaturam actibus inest *entis* & *positivi*; 3. specialem, eo sensu quod voluntates creatas non solum modo quodam generali moveat ad operandum, verum etiam ad spem actus determinet.

Addunt nihil detrimenti inde pati liberum arbitrium, quia Deus omnipotens naturarumque conditor, eo modo unumquodque movet, quem novit ejus naturæ attemperatum; Deum quoque hac doctrina non fieri auctorem peccati, quia sic premovet ad illud omne quod in actu vitioso aliquid *entis* physici habet, ut *formalem* peccati rationem, quæ merus est defectus, nec attingat nec velit. Denique, juxta Thomistarum sententiam, creatura non est nisi causa secunda Deoque subjecta, ex ipsiusque impulsu agens, eo fere

re modo quo manus discipuli subjicitur manui magistri, per quam ad scribendum movetur & applicatur: in opinione vero concursus simultanei, Deus & creatura duæ sunt causæ parallelæ, quarum neutra in alteram influit; sed conjunctim ad efficiendum eumdem actum suam conferunt operam.

Hujusmodi præmotionis necessitatem repetunt Thomistæ, tum a supremo quod Deus in creaturas universas habet dominio, tum ex eo quod causæ secundæ omnino a prima dependeant; ideoque illam requiri contendunt ad quoscumque creaturarum actus, sive naturales, sive supernaturales, sive natura sit integra, sive corrupta. Hanc appellare solent *præmotionem physicam*, *specialem*, aut *physicam prædeterminationem*; aut simpliciter *præmotionem*.

PARAGRAPHUS III.

Exponitur quid in ista controversia rejiciendum, vel admittendum videatur.

PROPOSITIO I.

Deus immediate cum creaturis concurrit in omnibus earum actionibus liberis, nec proinde sufficit concursus mediatus.

Prob. 1. Vel admittendum est concursus Dei immediatus, vel voluntas ut agat, sibi sufficit: atqui posterius dici non potest: voluntas enim creata debet a Deo maxime pendere: atqui ab eo non penderet, si ipsa sibi ad agendum sufficeret. In illa quippe hypothesi voluntas a Deo quidem accepisset facultatem agendi, sed in ea exercenda nullo modo penderet. Cum autem ex legitima illius exercitatione perficiatur homo, sine ullo Dei influxu melior evaderet & perfectior: atqui id absurdum est ac impium; ergo voluntas creata, ut agat, sibi non.

non sufficit, ac proinde ad singulos illius actus immediate Deus concurrit.

Prob. 2. Non sufficere concursum *mediatum* Durandi, & quidem multiplicem ob causam. 1. Quia postulat supremum Dei dominium, ut quamcumque voluerit actionem, ab homine certo possit obtinere: atqui ut illud assequatur Deus, non satis est facultatem agendi concessisse homini, sed prætereà requiritur aliquod auxilium. Ad obtinendam quippe ab homine quamdam actionem, sæpe necesse est ut immutentur & superentur propensiones contrariæ: atqui id fieri non potest, nisi aliquid auxilii a Deo conferatur.

2. Agnoscendam esse in Deo rerum humanarum causam, sapientissimamque Providentiam demonstravimus: atqui posita Durandi sententia, nulla esset in Deo rerum humanarum administratio; siquidem, post concessam hominibus pro suo lubitu agendi facultatem, eos ipsorum arbitratui Deus permitteret, nihil ipse ageret, nullos eventus dirigeret; sed omnium esset spectator otiosus.

3. Quia in Durandi sententia, non majorem in bonis, quàm in malis operibus partem sibi vindicare posset Deus, cum easdem concesserit hominibus facultates, quibus bene vel male, prout sibi libuerit, utantur: atqui consectarium illud repellit quilibet Religionis sensus nobis insitus.

4. Quia Deo persolvendas esse grates, quando fiunt bonæ actiones, vel a malis abstinetur, suggerit ratio naturalis: atqui in opinione quam refellimus, nullas tenemur Deo grates rependere, quia nihil amplius confert ad bonum, quàm ad malum faciendum; nihil quippe aliud concedit, quam expeditam pro nutu agendi potentiam; ergo non sufficit concursus *mediatus*; ergo requiritur immediatus.

Sol-

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Illæ non indiget concursu Dei immediato, quæ vim agendi habent a Deo acceptam: atqui creaturæ liberæ vim, &c. ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Quæ habent vim agendi Deo non subjectam, conc. Deo subjectam, neg.

Porro facultas agendi, quæ creaturis liberis insita est, Deo prorsus subjicitur: alioquin summum & integrum non esset Dei in creaturas dominium. Posset quidem Deus creaturarum actiones impedire, concessam facultatem ipsis auferendo; sed minime posset eas ad hanc vel illam actionem pro suo arbitrio certissime flectere.

Inst. Tunc facultas creaturarum recte dicitur Deo subjecta, quando earum actiones pendent a Deo: atqui etiamsi creaturæ immediato Dei concursu non indigeant, earum nihilominus actiones a Deo pendent, siquidem nihil possunt operari, nisi per virtutem a Deo acceptam: ergo etiamsi creaturis non opus sit concursu Dei immediato, earum tamen vis agendi Deo subjecta est.

Resp. Neg. min. Actiones enim, quæ sine Dei influxu fiunt, immerito dicerentur a Deo pendere: si quidem tunc a solis creaturis proficiscuntur: atqui si creaturæ, ut agant, immediato Dei concursu non indigent, illarum actiones sine ullo Dei influxu existunt; ergo, &c.

Obj. 2. Si Deus cum creaturis liberis ad aliquem actum concurreret, vel illum totum efficeret, vel hujus partem duntaxat: atqui neutrum dici potest, ergo Deus, &c.

Resp. Neg. min. Deus enim totum actum efficit, ad quem concurrit; alioquin esset quædam actionis pars, quæ a Deo non penderet, ea scilicet quæ ab eo non fieret: atqui repugnat aliquam esse actionis partem quæ a Deo non pendeat, ergo Deus totum actum operatur, ad quem concurrit.

In-

Inst. Unus & idem effectus non potest simul totus a duabus causis produci; ergo Deus non operatur simul cum creatura totum actum ad quem concurrit.

Resp. Dist. ant. Non potest simul a duabus causis produci, quarum una alteri non sit subjecta, conc. quarum una est alteri subjecta, neg. Re quidem vera duæ causæ, quarum una non est alteri subjecta, eumdem effectum totum producere nequeunt. Sic duo bajuli eamdem lecticam gestantes, effectum totum & integrum simul non operantur; alter enim unam ponderis partem sustinet, & alter alteram. Duæ vero causæ, ex quibus una est alteri subjecta, eumdem effectum, & quidem totum, singulæ possunt operari. Ita dum scholæ Magister discipuli manum ducit & regit ad scribendum, iidem characteres & a magistro, & a tyrone simul exarantur.

Inst. Si totus actus tum a Deo, tum a creatura producitur, inutilis est alterutrius actio: absurdum consequens; ergo & antecedens.

Resp. Neg. maj. Namque 1. requiritur actio Dei, sine qua in actum erumpere non posset creatura; ut enim existendi, ita & agendi Deus est primum principium: quemadmodum igitur sine actione Dei existere non potest creatura, ita nec sine eadem operari; 2. requiritur etiam actio creaturæ; alioquin actus esset Dei solius, & mere iners ac otiosa foret voluntas creata.

PROPOSITIO II.

Rejiciendus est concursus generalis & simultaneus ad sensum Molinæ.

Prob. 1. Concursus generalis ad sensum Molinæ, esset ex se indifferens, non magis uni, quam alteri homini destinatus, ad hunc vel illum effectum æque idoneus & flexibilis; atqui impossibilis

lis est hujusmodi concursus. Non magis est possibilis, quam motus generalis & indifferens, qui scilicet non magis in unam partem, quam in aliam, non magis in orientem quam in occidentem, non magis ad dextram quam ad sinistram tenderet: atqui motus ille prorsus repugnat, ut patet; ergo, &c.

Et vero concursus ille generalis & indifferens in eo consisteret, quod Deus vellet cum creatura efficere actum, quatenus esset actus *præcise* & generatim spectatus, non vero quatenus talis actus, odium, v. g. vel amor: atqui Deus velle non potest producere actum, quatenus actum, & generatim spectatum; siquidem actus sub eo respectu vago consideratus non potest existere, merumque est mentis nostræ figmentum: nihil enim supponi potest existens, nisi tale sit & determinatum.

Prob. 2. Ex ipso Molina nullus in creaturis actus existit, sine concursus influxu: atqui si concursus generatim & indiscriminatim ad quoslibet creaturarum actus offerretur, ut contendit præfatus auctor, existeret in creaturis actus sine concursus influxu. Nam concursus ille vagus & generalis aliquo voluntatis actu determinetur necesse est, ut in hanc potius quam in aliam actionis speciem influat: atqui actus ille, quo determinaretur concursus generalis & indifferens, sine hujus influxu existeret, utpote ipsi prævius. Non potest enim concursus influxum determinare & dirigere, quin eum præveniat; ergo &c.

Probatur 3. Actus totus esse debet a Deo & totus a voluntate creata, propter rationes jam expositas: atqui in opinione concursus simultanei id fieri nequit; eo scilicet posito, Deus & voluntas creata duæ sunt causæ parallelæ, quæ singulæ proprium habent influxum, & quarum neutra in alteram egit: atqui hujusmodi causæ non effectum totum, sed illius tantum partem singulæ operantur. Fallitur quippe Molina, cum ait duos

duos equos, qui currum conjunctim trahunt, singulos effectum totum producere. Si enim equus A onus integrum trahat, quod 200. librarum esse supponemus, jam equus B nihil habet trahendum, sed iners spatiatur; aut si uterque 200. libras importet, totius ponderis summa, non 200., sed 400. erit librarum, quod pugnat contra institutam hypothesim; posito igitur concursu simultaneo, Deus & voluntas creata, utpote causæ parallelæ, non totum singulæ effectum, sed illius duntaxat partem operantur.

Prob. 4. Quia concursus generalis & simultaneus certissimam Dei præscientiam, supremum illius in voluntates creatas dominium, titulum causæ primæ, & summam ejus Providentiam subvertit, ut ex iis compertum erit, quæ modo dicturi sumus, præmotionem physicam stabiliendo.

PROPOSITIO III.

Admittenda est cum Thomistis præmotio physica respectu mentium creatarum.

ARGUMENTUM I.

Præmotio physica Thomistarum est actio Dei physica, prævia & specialis: atqui 1. actio Dei in mentes creatas, & earum determinationi est prævia. Deus enim, utpote rerum omnium causa universalis, in omnem effectum, tanquam causa influit: atqui mentium creatarum determinatio est aliquis effectus, non merum nihilum, ut satis patet; ergo Deus in mentium creatarum determinationes tanquam causa influit: atqui id fieri non potest nisi per actionem Dei ipsis præviam; ergo 1. actio Dei in mentes creatas, ipsarum determinationi est prævia.

2. Est etiam *physica*, sive efficiens: nisi enim liberas mentium creatarum determinationes operaretur, aliquid esset in creaturis cujus auctor

non foret Deus, sicque titulo causæ universalis fraudaretur. Quinimo ipsi subtraheretur quidquid in hac rerum universitate nobilius est ac præstantius, nempe liberæ voluntatum creatarum determinationes, eventusque omnes in ordine tum morali, tum politico, v.g. Imperiorum initia, progressus, inclinationes, graves ruinæ. Hæc enim omnia per liberas mentium determinationes Deus exequitur; ergo 2. actio Dei in mentes creatas est *physica*.

3. *Specialis* est, sive ad singulos actus speciales pertinet. Vel enim actio Dei specialis est, vel generalis, vaga & indifferens, ad hunc vel illum actum pro creaturæ arbitrio flexibilis: atqui illud posterius dici non posse jam probavimus; ergo 3. actio Dei in mentes creatas est specialis, aliunde vero est physica & prævia; ergo, &c.

Iis quæ modo diximus maxime accomodata sunt ista clarissimi Bossuet verba: *Il n'y a rien dans la créature, qui tienne tant soit peu de l'être, qui ne doive à ce même titre tenir de Dieu tout ce qu'il a: comme donc plus une chose est actuelle, plus elle tient de l'être, il s'ensuit que plus elle est actuelle, plus elle doit tenir de Dieu. Ainsi notre ame conçue comme exerçant sa liberté, étant plus en acte, que comme pouvant l'exercer, elle est par conséquent plus sous l'action divine, dans son exercice actuel, qu'elle ne l'étoit auparavant. Ce qui ne peut s'entendre, si on ne dit que cet exercice vient immédiatement de Dieu ...., Dieu étant, comme premier être, cause immédiate de tout être, comme premier agissant, doit être cause de toute action; tellement qu'il fait en nous l'agir même, comme il y fait le pouvoir agir.* (*Traité du libre arbitre*, *ch.* 8.) Quid autem præmotioni physicæ magis proprium dici potest?

ARGUMENTUM II.

Illa sententia est anteferenda, qua posita, mirum in

in modum elucet præscientia divina supremum Dei in voluntates creatas dominium, titulus causæ primæ, summaque ejus providentia: atqui, posita Thomistarum sententia, mirum in modum elucent, &c. dum hæc Dei attributa prorsus subvertit Molinæ opinio.

1. Quidem præscientia divina: facile enim concipitur Deum ea certo prævidere, quæ actione sua efficacissima facturum se decrevit; contra vero, sublata premotione physica, quid difficilius est, quam exponere quo pacto Deus actiones libere futuras ab æterno prænoscat, citra ullum errandi periculum? tunc dicatur necesse est eas in seipsis, vel in voluntate creata a Deo præcognitas esse: atqui Deum neutro modo posse actiones libere futuras certo prævidere: jam probavimus.

Ea de re sic egregrie disserit Episcopus Meldensis: *Si on reconnoît que Dieu ayant des moyens certains de s'assurer des volontés libres, résout à quoi il veut les porter, on n'a point de peine à entendre sa prescience éternelle; puisqu'on ne peut douter qu'il ne connoisse & ce qu'il veut dès l'éternité, & ce qu'il doit faire dans le temps. C'est la raison que rend S. Augustin de la prescience divine:* Novit procul dubio que fuerat ipse facturus. *Mais si on suppose au contraire que Dieu attend simplement quel sera l'évenement des choses humaines, sans s'en mêler, on ne sait plus où il les peut voir dès l'éternité, puisqu'elles ne sont encore ni en elles-mêmes, ni dans la volonté des hommes, & encore moins dans la volonté divine, dans les decrets de la quelle on ne veut pas qu'elles soient comprises...*

Il ne sert de rien, pour expliquer la prescience, de mettre un concours général de Dieu; dont l'action & l'effet soient déterminés par notre choix. Car ni le concours anisi entendu, ni la volonté de le donner, n'ont rien de determiné, & par conséquent ne servent de rien à faire entendre comment

ment Dieu connoît les choses particulieres. De sorte que pour fonder la prescience universelle de Dieu, il faut lui donner des moyens certains par lesquels il puisse tourner notre volonté à tous particuliers qu'il lui plaira d'ordonner. (*Ibid. c.*3.) Ergo 1. in Thomistarum opinione facile concipitur præscientia divina, quæ systemate concursus generalis & simultanei explicari nequaquam potest.

2. Longe splendidius elucet supremum Dei in voluntates creatas dominium. Posita enim præmotione physica, Deus voluntates creatas quocunque & quandocumque voluerit impellit, inclinat, flectit: contra vero, juxta Molinæ placita, Deus est voluntatis creatæ, quasi pedissequus; huic non imperat, sed potius turpiter famulatur, & obsequiosus expectat donec oblato sibi concursu uti voluerit.

3. Titulum primæ causæ, Deo melius asserunt Thomistæ: in eorum quippe sententia, Deus ante omnem voluntatis humanæ actum efficaciter præstituit quidquid homo sit facturus; ergo primum est principium, prima causa determinationum voluntatis; contra vero in opinione concursus simultanei, Deus tanquam callidus explorator perscrutatur quid factum sit creaturæ, tumque decernit cum ea simul eumdem actum efficere; ergo prima non est illius actus causa; siquidem jam actus ille prævisus fuit, antequam ad eum concurrere Deus constituat.

4. A Thomistis divinæ Providentiæ optime consulitur: hæc quippe in eo sita est, quod Deus res universas & singulas tam certa ratione regat & moderetur, ut falli in exequendis suis consiliis nequeat: atqui in Thomistarum principiis facile intelligitur divinæ Providentiæ consilia, licet cum innumeris voluntatis creatæ determinationibus liberis colligata, suo effectu fraudari non posse. Cum enim Deus omnipotente & efficacissima virtute voluntates creatas pro suo flectat arbitrio, minime timendum est ne ab iis invertatur divino-

norum decretorum ordo & series. Contra in hypothesi concursus simultanei, prorsus corruit divina Providentia. Cum enim concursus ille sit generalis, indifferens, ad voluntatis creatæ nutum huc, illuc flexibilis, sequitur non divino concursu regi voluntates humanas, sed ipsum potius ab ipsis dirigi. Quo pacto igitur poterit divina Providentia certo fines suos assequi? ergo Thomistarum sententiam suam Deo providentiam, suam præscientiam, suum in voluntates creatas imperium, suumque primæ causæ titulum vindicat; hæc vero Dei attributa cum Molinæ concursu simultaneo stare nequeunt; ergo, &c.

ARGUMENTUM III.

Ex Fidelium Precibus,

Plurima quotidie a Deo postulamus, ab ipso per hominum voluntates præstanda. Oramus ut homines nobis faveant, ut adversari desinant, ut inceptis nostris non obsistant, ut nos dictis factisve ad peccatum non impellant, &c. Hæc aliaque ejusmodi multa suis in orationibus postulat Ecclesia, & quo majori quisque fide ac pietate præditus est, eo magis frequenter & sincere a Deo hæc efflagitat, tanquam a supremo cordium humanorum Domino. Jacob e Mesopotamia rediens, iratique fratris sui Esau minas reformidans, sic precatur; *Erue me de manu fratris mei Esau, ne forte veniens percutiat matrem cum filiis*. (*Genes*. 32. 11.) Eliezer orat Deum, ut puella quam Isaaco uxorem destinabat, aquam sibi offerret ad potum camelorum. (*Genes*. 24.) Esther a Deo petit, ut Regis Assueri animum ad lenitatem traducat. (*cap*. 14.) Baruch Propheta Deum rogat ut Judæi in Babylonem translati, apud eum populum gratiam inveniant. (1. 12.) Atqui demonstrant hujusmodi preces in manu Dei versari humanas voluntates,

ab

ab eoque ad singulos actus promoveri. *Ut quid enim ista in oratione dicit Deo Esther*, inquit Augustinus, *si non operatur Deus in cordibus hominum voluntatem? .... Cor Regis .... occultissima & efficacissima potestate .... transtulit .... a voluntate lædendi .... ad voluntatem favendi, secundum illud Apostoli: Deus in nobis operatur & velle*. (*Lib. contra duas Epistolas Pelagianorum, cap.* 20. *n.* 38.)

Solvuntur objecta.

Difficultates, quibus impugnari solet præmotio physica, ex eo potissimum ducuntur, quod hominis libertatem tollere, & Dei sanctitatem lædere videatur: sed antequam eas dissolvendas suscipiamus, instar principii statuendum est, non ideo deserendam esse veritatem apertissimam, quia in ea nonnullæ occurrunt difficultates, quæ vix ac ne vix quidem extricari possunt. Quid agere solent Mathematici, postquam aliquid accurate demonstrarunt, si ipsis insolubilia quædam objiciantur? tunc suam ignorantiam ingenue confitentur; sed nihilominus firmiter veritati compertæ adhærent: cum ergo certissimis nitatur argumentis præmotio physica, non rejicienda esset, quamvis cum libertate humana, & sanctitate divina eam conciliare difficile esset. Enim vero si duarum veritatum nexus aliquando nos lateat, non ideo altera propter alteram neganda est, ut sic monet illustrissimus Bossuet: *La premiere regle de notre Logique, c'est qu'il ne faut jamais abandoner les vérités une fois connues, quelque difficulté qu'il survienne, quand on veut les concilier; mais qu'il faut au contraire, pour, ainsi parler, tenir toujours fortement come les deux bouts de le chaine, quoiqu'on ne voje pas toujours milieu par où l'enchainement se continue.* (*Traité du libre arbitre, chap.* 4.)

Sed ne solvendis difficultatibus prorsus impares nos putent adversarii.

Ob-

Objic. 1. Illud rejiciendum est, quod tollit hominis libertatem: atqui præmotio physica, &c. ergo, &c.

Resp. Neg. min. Illud enim libertatem humanam non tollit, quod potentiam agendi vel non agendi minime perimit: atqui præmotio physica, &c. Ea quippe potentia in homine servatur integra, de qua nihil detrahitur, & cui nihil adjicitur contrarii: atqui præmotio physica 1. de potentia agendi vel non agendi, quæ menti insita est, nihil detrahit. Namque additio unius, scilicet actionis, non est alterius, nimirum potentiæ, diminutio. 2. Nihil etiam adjicit, quod potentiæ non agendi adversetur. Actio enim, quam operatur præmotio physica, & potentia non agendi, nequaquam sunt duo contraria; bene vero actus & non actus: ergo præmotio physica ad agendum, nullo modo potentiam non agendi labefactat, nec proinde nocet libertati.

Et certe præmotio physica libertatem non tollit, si Deus, cujus voluntas est efficacissima, non solum velit, ut homo agat, sed etiam ut libere agat: atqui Deus non solum vult, &c. illius quippe voluntas non effectus substantiam duntaxat attingit, sed etiam ipsius modum. Illud autem ratiocinium non tam nostrum est, quam Doctoris Angelici, qui sic habet: *Dicendum quod hoc ipso quod nihil voluntati divinæ resistit, sequitur quod non solum fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter* (id est libere) *vel necessario, quæ sic vult fieri* (1. *Part. Quæst.* 19. *art.* 8, *ad* 2.)

Simile ratiocinium sic adhibet Bossuet: *Dieu ne fait pas notre action comme une chose détachée de nous, mais faire notre action, c'est faire que nous agissions; & faire dans notre action sa liberté, c'est faire que nous agissions librement, & le faire, c'est vouloir que cela soit; car faire en Dieu, c'est vouloir. Ainsi, pour entendre que Dieu fait en nous nos volontés*

tès libres; il faut entendre seulement qu'il veut que nous soyions libres; mais il ne veut pas seulement que nous soyions libres en puissance, il veut que nous soyions libres en exercice; & il ne veut pas en général que nous exercions notre liberté, mais il veut que nous l'exercions par tel & tel acte. Car lui dont la science & la volonté vont toujours jusqu'à la derniere précision des choses, ne se contente pas de vouloir qu'elles soient en général, mais il descende.... à ce qu'il y a de plus particulier. Ainsi Dieu veut dès l'éternité tout l'exercice futur de la liberté humaine en tout ce qu'il y a de bon & de réel.

Ainsi ce decret divin sauve parfaitement notre liberté. Car la seule chose qui suit en nous en vertu de ce décret, c'est que nous faissions librement tel & tel acte... Tel est le sentiment de ceux qu'on apelle Thomistes; voilà ce que veulent dire les plus habiles d'entr'eux par ces termes de prémotion & prédétermination physique, qui semblent si rudes à quelques uns; mais qui étant bien entendus, ont un si bon sens. (*Ibid. ch.* 8.)

Ex iis patet quantum Præsul ille doctissimus ab eorum mente abfuerit, qui præmotionem physicam sibi animo fingunt veluti compedem ferream, qua voluntas captiva constringitur.

Inst. Illud tollit libertatem, cui non possumus resistere: atqui præmotioni physicæ non possumus resistere; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Præmotioni physicæ resistere possumus, si ea posita, veram retineamus potentiam non agendi: atqui posita præmotione physica, veram, &c. in nobis quippe non operatur nisi actionem, nempe consensum & determinationem: atqui actio stare potest cum facultate non agendi; siquidem non opponuntur. Si enim actio & facultas non agendi secum invicem consociari non possent, inde sequeretur in nobis, etiam absque ulla præmotione agentibus, extinguen-

guendam esse potentiam non agendi, ac proinde libertatem: atqui id absurdum est; ergo actio & potentia non agendi possunt simul consistere; ergo ex eo quod præmotio physica in nobis actionem efficiat, perperam concluderetur ab ea perimi facultatem non agendi, ita ut ipsi resistere non possumus. Præterea quodcumque sit bonum, ad quod nos Deus præmoveat, nunquam in hac mortali vita hujusmodi est, ut totum voluntatis amorem exhauriat. Nihil est enim quod naturale hominis desiderium penitus expleat, præter summi boni possessionem. *Inde fit*, inquit Massoulie, insignis Thomista, *ut quodcumque elegerit voluntas, in quo solum levissimam summi boni participationem percipiat, aliud semper & optare, & quærere, & eligere possit.* (*In S. Thom. Dissert.* 2. *Quæst.* 7. *ar.* 3.) Ergo præmotio physica potentiam ad oppositum non aufert, ac proinde illi resistere possumus.

Instab. Posse resistere præmotioni physicæ, nihil aliud est quam posse eam suo effectu fraudare; atqui non potest homo præmotionem physicam suo effectu fraudare; ergo nec ei resistere.

Resp. Dist. maj. Posse resistere præmotioni physicæ, potentia ad actum reducenda, nihil aliud est quam posse eam effectu suo fraudare, conc. maj. posse resistere præmotioni physicæ, potentia ad actum non reducenda, nihil aliud est, &c. neg. maj. dist. simul consequens.

Porro nunquam futurum est, ut mens eam exerceat, quam habet, præmotioni physicæ resistendi potentiam. Ea quippe præmotioni est virtus, non ut facultatem reluctandi auferat, sed ut efficacem non resistendi voluntatem conferat. Nec objicias fictitiam esse potentiam, cujus nullum unquam futurum est exercitium. Numquid vere quisque non potest sibi nasum amputare, oculos offendere, manus truncare, linguam abscindere, e fenestra præcipitem se dare? atqui tamen nihil horum efficiet, quandiu erit mentis

suæ

suæ compos. Nonne post prævisam a Deo actionem libere futuram, potest quisque oppositam efficere? atqui tamen nunquam continget, ut ea facultas in actum exeat; fictitiam ergo esse potentiam ex eo male colligeretur, quod numquam sit in actum proditura.

Inst. Illud prorsus & absolute impossibile est, quod fieri repugnat: atqui repugnat fieri, ut præmotio physica effectu suo fraudetur; ergo illud prorsus & absolute impossibile est.

Resp. 1. Retorqueo argumentum: illud prorsus & absolute impossibile est, quod fieri repugnat: atqui repugnat fieri, ut eventus a Deo prævisus non contingat; ergo illud prorsus & absolute impossibile est, ac proinde liberum esse non potest quod fuit a Deo prævisum.

Resp. 2. Dist. maj. Illud prorsus & absolute impossibile est, quod fieri repugnat, si hæc repugnantia mentis electionem non supponat, conc. si eam supponat, neg.

Porro repugnat quidem præmotionem physicam suo effectu carere; sed illa repugnantia liberam voluntatis electionem supponit. Ideo enim absurdum est præmotionem physicam suo effectu esse destitutam, quia mens, inspirante Deo, vult actum ad quem præmovetur exercere, potius quam ab eo abstinere, nec potest idem simul velle & nolle. Hinc patet repugnantiam illam voluntati nullam inferre necessitatem: siquidem ex libera illius electione fluit. Quemadmodum, licet repugnet me tacere, dum loquor, hæc repugnantia nullam voluntati meæ necessitatem importat, quia suam ducit originem ex libera mentis electione, quæ ad loquendum, potius quam ad tacendum sese determinavit.

Inst. Præmotio physica ex natura sua connectitur cum voluntatis determinatione; ergo ita repugnat hominem præmotum non agere, ut illa repugnantia ex libera mentis electione non pendeat.

Resp. Dist. ant. Præmotio physica ex natura sua connectitur cum voluntatis determinatione *libera*, conc. cum voluntatis determinatione *simpliciter*, neg.

Ea quidem est præmotionis physicæ natura, ut cum voluntatis determinatione certam habeat connexionem; sed pariter ad illius naturam pertinet, ut cum voluntatis determinatione libera sit colligata: Deus enim non decernit tantummodo fieri actum aliquem, sed etiam decernit actum illum fieri libere. *Deus quippe*, ait S. Thomas, *res movet secundum quod competit earum naturæ*. (*Compend. Theol. c.* 129.) Eo autem ipso libere agimus, quod Deus velit ita nos agere, cujus voluntas est efficacissima.

Veritatem hanc perspicue simul & nervose, pro suo more, sic exponit Bossuet: *Comme la volonté de Dieu n'a besoin que d'elle même pour accomplir tout ce qu'elle ordonne il n'est pas besoin de rien mettre entre elle & son effet. Elle l'atteint immédiatement & dans son fond, & dans toutes les qualités qui lui conviennent, & on se tourment vainement ne cherchant à Dieu des moyens par lesquels il fasse ce qu'il veut; puisque, dès là qu'il veut, ce qu'il veut existe.... Cet efficace est si grande, que non seulement les choses sont absolument, dès-là que Dieu veut qu'elles soient, mais encore qu'elles sont telles, dès que Dieu veut qu'elles soient telles... Car il ne veut pas les choses en général seulement; il les veut dans tout leur état, dans toutes leurs propriétés... Comme donc un homme est, dès là que Dieu veut qu'il soit; il est libre, dès là que Dieu veut qu'il soit libre; & il agit librement, dès là que Dieu veut qu'il agisse librement; & il fait librement telle & telle action, dès-là que Dieu le veut ainsi...*

Et il ne faut pas objecter que le propre de l'exercice de la liberté, c'est de venir seulement de la liberté même. Car cela seroit véritable,

si la liberté de l' homme étoit une liberté premiere & indépendante, & non pas une liberté découlée d' ailleurs.... Toute volonté créée est comprise comme dans sa cause, dans la volonté divine; & c' est de-là que la volonté humaine a d' être libre. Ains étant véritable, que toute notre liberté vient en son fond immédiatement de Dieu, celle qui se trouve dans notre action, doit venir de la même source. (*Ibid. ch.* 8.)

Obji. 2. Præmotio physica voluntatis electionem antecedit; ergo tollit libertatem.

Resp. Dist. ant. Præmotio physica voluntatis electionem antecedit, & simul & facit, conc. antecedit simul & non facit, neg.

Porro voluntatis electionem, & quidquid in ea libertatis est efficit præmotio physica, sive actio Dei efficacissima; ut sic docet idem scriptor percelebris, cujus auctoritatem & verba frequentius non allegare non possumus. *Loin qu' on puisse dire que l' action de Dieu sur la nôtre, lui ôte la liberté, au contraire il faut conclure que notre action est libre* a priori, *à cause que Dieu la fait être libre. Que si on attribuoit à un autre qu' à notre auteur, de faire en nous notre action, on pourroit croire qu' il blesseroit notre liberté, & romproit, pour ainsi dire, en le remuant, un ressort délicat, qu' il n' auroit point fait; mais Dieu n' a garde de rien outre à son ouvrage par son action, puisqu' il y fait au contraire tout ce qui y est, jusqu' à la derniere précision, & qu' il fait non seulement notre choix, mais encore dans notre choix la liberté même.* (Ibid. cap. 8.)

Præterea Scriptores Sacri, divino Numine afflati, ex omnium consensu erant liberi, cum sacra volumina conscriberent: atqui tamen, nonnisi præveniente, inspirante, & movente Spiritu sancto, sanctos codices scripserunt, eaque actio ita fuit efficax, ut repugnet eos inter scribendum errasse, & per vicariam eorum linguam Deus loqui censeatur; ergo actio Dei, quamvis voluntatis e-

le-

lectionem antecedens, quamvis efficacissima, cum humana libertate potest consistere.

Instab. Illud antecedit simulque tollit electionem liberam, cujus homo non est dominus: atqui homo præmotionis physicæ non est dominus: ergo illa præmotio tollit electionem liberam.

Resp. Neg. maj. ut enim electionis libertas stet incolumis, necesse non est hominem esse præmotionis divinæ dominum, ita ut eam ad suum arbitrium habeat vel non habeat, eamque huc, vel illuc pro suo nutu versatilem flectat: at satis est ut, præsente præmotione, vel veram retineat ad oppositum potentiam; rem vero ita esse, abunde jam ostendimus. Hinc sententiam Thomistarum exponens Bossuet, ait: *Pour accorder le décret & la toute puissance de Dieu avec notre liberté, on n' a pas besoin de lui donner un concours qui soit indifférement; encore moins de lui faire attendre à quoi notre volonté se portera: pour former ensuite à jeu sûr son décret sur nos résolutions. Car sans ce foible ménagement, qui brouille en nous toute l' idée de la premiere Cause, il ne faut que considérer que la volonté divine, dont la vertu infinie atteint tout, non seulement dans le fond, mais dans la maniere d' être, s' accorde par ellemême avec l' effet tout entier, où elle met tout ce que nous y concevons, en ordonnant qu' il sera avec toutes les propriétés qui lui conviennent.* (Ibid. chap. 8.)

Instab. Ibi fictitia tantum est potentia, ubi non adsunt omnia ad oppositum actum requisita: atqui in homine præmoto, v. gr. ad diligendum, non adsunt omnia ad oppositum actum, nempe odium, requisita; ipsi nimirum deest præmotio physica, sine qua actus odii existere non potest: ergo, præsente præmotione, non relinquitur nisi vana potentiæ ad oppositum umbra.

Resp. 1. Retorqueo argumentum. Ibi nonnisi fictitia est potentia, ubi non adsunt omnia ad oppositum actum requisita: atqui, stante concursu

si-

simultaneo, v. g. ad diligendum, non adsunt omnia ad oppositum actum, nempe odium, requisita; deest enim concursus ad odium; ergo, stante concursu *simultaneo*, fictitia tantum est in homine potentia ad oppositum.

Resp. 2. Neg. maj. Aliud quippe est posse agere, & aliud agere. Ad actum quidem requiritur præmotio ex parte Dei; sed minime necessaria est ad potentiam agendi: hæc enim facultas non oritur a præmotione physica, quæ eam in nobis supponit, & integram relinquit, dum nos ad actum applicat. Namque si possit homo in seipso actionem, sive determinationem, cum vera potentia ad oppositum conjungere, id profecto potest Deus; nisi dicatur hominem esse Deo potentiorem, eumque in seipso posse quidpiam efficere, quod operari Deus non valeat.

Præterea cum Sennacherib abstulit *terminos populorum*, *& principes eorum deprædatus est*, nonne veram habuit potentiam ad oppositum? atqui tamen tunc ipsi adfuit præmotio physica. Nam apud Isaiam sic gloriatur Sennacherib: *In fortitudine manus meæ feci*, *& in sapientia mea intellexi*, *& abstuli terminos populorum*, *& principes eorum deprædatus sum*. (*Cap.* 10. *v.* 13.) Hanc autem arrogantiam his verbis retundit Deus: *Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur?* (*Ibid. vers.* 15.) Hæc profecto verba designant præmotionem physicam. Si enim Deus moraliter tantum Sennacherib movisset; ergo non sicut artifex securim aut serram; præmotio igitur physica potentiæ ad oppositum actum nihil nocet.

Obj. 5. Illud prorsus rejiciendum est, quod Deum facit auctorem peccati: atqui præmotio physica, &c. ergo, &c.

Resp. Neg. min. Si, posita præmotione physica, Deus esset auctor peccati, vel quia peccatum produceret ut causa efficiens; vel quia peccati cen-

se-

feretur reus, ut causa deficiens: atqui neutrum dici potest. Non quidem 1. quia peccatum ratione sui, est mera rectitudinis debitæ privatio, quæ cum non sit effectus aliquis, sed merum nihilum, nullam habere potest causam efficientem. *Peccatum nihil est*, inquit Augustinus. (*Tract.* 1. *in Evang. Joan. n.* 13. *t.* 3. *part.* 3. *pag.* 294.) ..... *Peccatum*, ait S. Thomas, *nihil aliud est, quam actus humanus malus .... habet autem actus humanus quod sit malus, ex eo quod caret debita commensuratione cum regula*. (1. 2. *q.* 71. *art.* 6.) Hanc esse Patrum omnium doctrinam sic testatur doctissimus Petavius: *Patres ad unum omnes, Græci Latinique, nullo prorsus excepto, peccatum per se, & ut loqui amant, formaliter, nonnisi privationem boni, ac nihil esse sentiunt*. (*Tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 19.) Patrum vestigiis insistens Bossuet, sic habet: *Le mal n'est point un être, mais un défaut .... il n'a point par conséquent de cause efficiente, & ne peut venir que d'une cause, qui etant tirée du néant, soit par-là sujette à faillir*, (Ib. chap. 3.) Ergo 1., posita præmotione physica ad omnes & singulos actus, Deus non est peccati causa efficiens.

2. Nec causa deficiens. Si enim talis foret, maxime quia teneretur per physicam præmotionem impedire peccatum, quod removere potest: atqui Deus ad illud non adstringitur; siquidem in hypothesi concursus etiam *simultanei*, non avertit mala quæ posset depellere; ergo posita præmotione physica, Deus non est causa peccati sive efficiens, sive deficiens; ergo præmotio physica Deum non constituit auctorem peccati.

Instab. Ille est auctor peccati, qui voluntatem physice præmovet ad peccatum: atqui ita se habet Deus, posita præmotione physica ad omnes & singulos actus; ergo, &c.

Resp. 1. Retorqueo argumentum: ille est auctor peccati, qui ad peccatum cum voluntate concurrit; atqui, posito concursu *simultaneo*, Deus

cum

cum voluntate concurrit ad peccatum; ergo in hypothesi etiam concursus *simultanei*, Deus erit auctor peccati.

Resp. 2. Neg. min. Posita enim præmotione ad omnes & singulos actus, Deus non præmovet ad peccandum, si istud ratione sui non sit actus, sed merum nihilum, sive privatio rectitudinis debitæ: atqui ex modo dictis, peccatum ratione sui non est actus, &c. ergo, &c.

Hinc D. Bossuet ad Thomistarum sententiam alludens sic habet: *On peut entendre, ce me semble, par ces principes, ce que Dieu fait dans les mauvaises actions de le créature. Car il fait tout le bien, & tout l'être qui s'y trouve: de sorte qu'il y fait même le fond de l'action, puisque le mal n'étant autre chose que la corruption du bien & de l'être, son fond est par conséquent dans le bien, & dans l'être même.* (Traitè du lib. arb. chap. 11.)

Instab. Ille merito censetur præmovere ad peccatum, illiusque auctor esse, qui præmovet ad actum, cui annexa est malitia peccati: atqui Deus præmovet ad actum, cui annexa est malitia peccati: ergo, &c.

Resp. 1. Retorqueo argumentum; ille merito censetur concurrere ad peccatum, illiusque auctor esse, qui concurrit ad actum, cui annexa est malitia peccati: atqui, posito solo concursu *simultaneo*, Deus, &c. ergo, &c.

Resp. 2. Dist. maj. Qui præmovet ad actum, cui per se & necessario connexa est malitia peccati; conc. cui per accidens tantum annexa est malitia peccati; neg.

Porro actus ad quem præmovet Deus, *per accidens* tantum, minime vero ex natura sua sibi adjunctam habet malitiam peccati. Eam enim actui in se spectato non esse necessario illigatam adeo verum est, ut eadem actio quæ in uno homine mala est, qui legi sese non conformat, in altero possit esse bona. Sic actus occidendi qui

in

in homicida vitiosus est, in judice aut carnifice legitimus est, nihilque habet pravitatis; hæc enim in eo sita est, quod actus rectitudine debita careat propter vitium hominis, qui inter operandum a lege divina deflectit.

Itaque in omni voluntatis actu duo sunt accurate secernenda, nempe 1. ipse actus in se consideratus, 2. illius ordinatio, quæ peccati rationem constituit. Jam vero ipse actus voluntatis ratione sui spectatus, aliquid est boni, siquidem fertur ad objectum ex natura sua bonum, quales sunt divitiæ, felicitas quam in omnibus inquirimus: hæc enim omnia Deum habent auctorem, qui nihil facere potest nisi bonum. In quo igitur sita est actus voluntatis inordinatio? in eo tantum quod res ex natura sua bonæ, vel magis, quam par est, amentur, vel in debitis circumstantiis non diligantur, vel ad finem legitimum non referantur.

Responsionem hanc auctoritate sua confirmat, exemplisque familiaribus illustrat D. Bossuet, cujus hæc sunt verba: *Pour entendre distinctement tout le bien que le premier Être opere en nous, il ne faut que considérer tout ce qu' il y a de bon dans le mal que nous faisons. Le plaisir que nous recherchons, & qui nous fait faire tant de mal, est bon de soi; & il est donné à la créature pour un bon usage. Ne vouloir manquer de rien; ne vouloir avoir aucun mal, ni rien par conséquent qui nous nuise, tout cela est bon visiblement, & fait partie de la félicité pour laquelle nous sommes nés: mais ce bien recherché mal-à propos, est la cause qui nous pousse à la vengeance, & à mille autres excés. Si on maltraite un homme, si on le tue, cette action peut être commandée par la justice, & par conséquent peut être bonne. Commander, est bon; être riche, est bon; & ces bonnes choses mal prises, & mal desirées, font néanmoins tout le mal du monde.* (Ibid.)

In-

Instab. Homo censetur causa peccati deficiens, cum actum efficit, cui, vel etiam *per accidens*, conjuncta est malitia peccati; ergo pariter Deus censendus est causa peccati deficiens, quando præmovet ad actum, cui *per accidens* conjuncta est malitia peccati.

Resp. 1. Retorqueo argumentum: homo censetur causa peccati deficiens, cum actum efficit, cui, vel etiam *per accidens*, conjuncta est malitia peccati; ergo pariter Deus censendus est causa peccati deficiens, quando cum creatura concurrit ad actum, qui *per accidens* sibi conjunctam habet malitiam.

Resp. 2. Neg. conseq. & parit. Creatura enim, juxta legem a suo conditore sibi impositam, ab iis actibus debet abstinere, quibus *per accidens* connexa sit malitia peccati; Deus vero, utpote causa prima & universalis, res singulas movere debet juxta earum conditionem, sicque permittere potest, ut quæ ex natura sua deficere possunt, aliquando deficiant.

Objic. 4. Ideo censetur homo causa peccati deficiens, quia non exercet actum, qui sit absque defectu; ergo pariter Deus dici potest peccati causa deficiens, quia non dedit homini præmotionem ad actum, qui esset sine defectu.

Resp. 1. Retorqueo argumentum: Ideo censetur homo causa peccati deficiens, quia non efficit actum, qui sit absque defectu; ergo pariter dici potest Deus causa peccati deficiens, quia non dedit homini concursum, per quem efficeret actum, qui esset absque defectu.

Resp. 2. Neg. conseq. & parit. Deum inter & creaturam immane est discrimen. Creatura enim est causa secunda, quæ tenetur legi divinæ obtemperare, & quæ ab ea deflectendo peccat; Deus vero est Causa prima & universalis, quæ nulli subjicitur, nec tenetur causarum particularium defectus amovere, earumque conditionem subvertere. Uno verbo, non exercere actum, qui o-

 mni

omni vitio careat, est defectus rectitudinis, ad quam obstringitur creatura; at vero non præmovere ad actum qui sit absque defectu, non est privatio perfectionis, ad quam Deus teneatur; sed mera est indebiti beneficii non concessio.

Instab. Si Deus homini concessisset præmotionem ad non peccandum, homo non peccasset; ergo Deus hujusmodi præmotionem non largiendo, causa est cur homo peccet.

Resp. 1. Retorqueo argumentum: Si Deus homini concessisset concursum ad non peccandum, homo non peccasset; ergo Deus hujusmodi concursum non largiendo, causa est cur homo peccet.

Resp. Nego conseq. Præmotionis enim ad peccatum declinandum non largitio, non posset esse causa cur homo peccaret, nisi quatenus peccandi necessitatem ipsi inferret: atqui illius præmotionis non concessio, nullam peccandi necessitatem homini importat: absente enim præmotione, veram habet homo facultatem abstinendi a peccato. Præmotio quippe, ut jam diximus, non potentiæ, quam supponit, sed actionis tantummodo est causa efficiens; ergo si peccet homo, culpari minime debet Deus non promovens, sed sola mentis humanæ perversitas.

Instab. ultimo: saltem, admissa præmotione physica, peccantes extra culpam forent; id enim tantum agerent, ad quod eos movet Deus.

Resp. 1. id ipsum sibi objecisse Apostolum: *Dicis itaque mihi; quid adhuc quæritur Deus? voluntati enim ejus quis resistit?* (*Rom.* 9. 19.) Quid vero respondet? *O homo tu quis es qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui se finxit; quid me fecisti sic?*

Resp. 2. Prorsus falsum est hominem, dum peccat, id tantum agere, ad quod eum movet Deus. A lege enim & debita rectitudine deficit; ad illam vero defectionem a Deo nequaquam impellitur, sed propria sua voluntate devolvitur.

Si

Si nonnullis hæc duriora videantur, ad ista S. Augustini verba attendant: *Quanto excelsior, tanto inscrutabilior divina, quam humana justitia.... quis enim homo justus sinit perpetrari scelus, quod habet in potestate non sinere? & tamen hæc sinit Deus incomparabiliter justis omnibus justior, & cujus potestas est incomparabiliter omnibus potestatibus major. Hæc cogita & noli judicem Deum judicibus hominibus comparare, quem non dubitandum est esse justum, etiam quando facit quod videtur hominibus injustum; & quod homo si faceret, esset injustus.* (*Lib.* 3. *operis imperfect. cap.* 24.)

SCHOLION.

Ex iis, quæ in hujus disputationis decursu diximus, colligere est: 1. quibus argumentis impugnatur præmotio physica, iisdem plurimis urgeri adversarios; 2. ea sublata, ruere & supremum Dei in voluntates creatas dominium, & certissimam ipsius præscientiam, ac providentiam. Etiamsi igitur omnes adversariorum difficultates non ita dissolverentur, ut nihil superesset nubeculæ, aliis tamen opinionibus prævalere debet sententia Thomistarum. Ea nec hominis libertatem, nec Dei sanctitatem offendi, non semel declararunt Romani Pontifices. Unum hic appellabimus Benedictum XIV., quem nominasse, laudare est.

Anno 1752. in collegio Montis Pessulani Societatis Jesu, propugnata fuit hæc thesis: *Prædeterminatio physica... non potest conciliari cum libertate hominis; est Deo injuriosa, quem facit auctorem peccati.* Rogata Facultas Theologica Tolosana ut suam de ista thesi sententiam diceret, ad hujus lectionem obstupuit, nec sine dolore vidit doctrinam a Catholicis tot viris defensam, his deturpari notis, quibus vix ullæ acerbiores contra Manichæos & Calvinistas adhiberi

beri possent. Quapropter censuit sacra hæc Facultas die octava Augusti, thesim illam Scholæ in Ecclesia florentissimæ esse maxime injuriosam.

Cui judicio ut major accederet auctoritas, res tota ad Sedem Apostolicam delata fuit, ex qua prodiit Pontificium diploma anno 1755., cujus hæc sunt verba: *Nemo est*, inquit felicis memoriæ Benedictus XIV., *qui non videat sacræ vestræ Theologicæ Facultatis sapientiam, sanam doctrinam atque justitiam, dum die octava Augusti anni 1752. proscribendam censuit thesim sequentibus verbis conceptam: prædeterminatio physica.... non potest conciliari cum libertate hominis: est Deo injuriosa, quem facit auctorem peccati.*

PNEU-

****

PNEUMATOLOGIÆ

SECUNDA PARS

DE SPIRITU CREATO.

Duplex distinguitur spiritus creatus, nempe Angelus & mens humana. De utroque seorsim disserendum. Deinde appendicem subjungemus de anima belluina.

DISSERTATIO PRIMA.

DE ANGELIS.

Quamvis tractationem de Angelis speciali jure sibi vindicent Theologi, usus tamen invaluit, ut de iis nonnulla delibarent Philosophi. Cui consuetudini ut obsequamur, paucas & breves de Angelis quæstiones proponemus, easque Scripturarum & Patrum auctoritate resolvemus; in iis enim exponendis ratio frustra interrogaretur.

Quæres 1. Quænam sit Angelorum natura.

Resp. *Angelus*, juxta vim nominis græci, idem est ac latine *nuntius*. *Angelorum vocabulum*, inquit Gregorius Magnus, *nomen est officii*, *non naturæ .... tunc solum cœlestes spiritus sunt angeli*, *cum per eos aliqua nuntiantur*. (*Hom.* 34. *in Evang. n.* 8.) *Spiritus cum mittuntur*, ait Augustinus, *fiunt Angeli*. (*In Psal.* 103. *serm.* 1. *n.* 15.)

Angeli definiri solent, *substantiæ creatæ spirituales & completæ*. Dicuntur 1. *substantiæ creatæ*. Eos enim fuisse a Deo creatos diserte do-

docet Apostolus: *In ipso* (*Christo*) *condita sunt universa in Cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* (*Coloss.* 1. 16.) 2. *Spirituales*, id est, materiæ cujuslibet expertes, in quo cum Deo, animaque humana conveniunt. 3. *Completæ*, sicque Angeli ab anima nostra differunt, quæ substantia quidem est creata & spiritualis, sed minime completa, cum partem hominis efficiat.

Quæres 2. Utrum fide certum sit existere Angelos, & quo tempore creati fuerint.

Resp. Existere Angelos fide constat, cum hæc veritas in Scripturis diserte & frequentissime revelata sit. *Venerunt duo Angeli Sodomam.* (*Genes.* 19. 1.) *Angelus Domini de Cælo clamavit: Abraham, &c.* (*Ibid. cap.* 22. *v.* 11.) *Angeli eorum* (*parvulorum*) inquit Christus, *in Cælis semper vident faciem patris mei.* (*Matth.* 18. 10.) De tempore, quo creati fuerint Angeli, non consentiunt Patres antiquissimi. Probabilius autem existimatur, eos una cum rebus corporeis creatos fuisse, quia Scripturæ verbis magis accommodata est illa sententia. Sic enim legitur: *In principio creavit Deus cælum & terram* (*Genes.* 1. 1.); quod ita solet intelligi, ut nihil antea Deus creavit. *In principio creavit Deus cælum & terram*, inquit Augustinus; *quibus nominibus, universalis est significata creatura... spiritualis & corporalis, quod est credebilius.* (*Lib. VI. de Civit. Dei*, *cap.* 33.)

Quæres 3. utrum Angeli sint prorsus incorporei.

Resp. Eos ab omni materia segregatos esse constat ex Scripturis: *Cum spiritus immundus*, ait Christus, *exierit ab homine.... vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se.* (*Matth.* 12. *v.* 43. & 45.) Scriptura bonos malosve Angelos constanter appellat *spiritus*, nulla corporis facta mentione. Cum vero de homine

ne sermonem habet, ipsius corporis sæpe meminit. Præterea fideles sic admonet Apostolus: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem: sed.... contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*, id est, contra spiritus nequissimos, qui in aeriis regionibus versantur: (*Eph.* 6. 12.) atqui ibi Apostolus malos Angelos, sive dæmones, ita *spiritus* appellat, ut eos manifeste substantiis corporeis opponat.

Quæres 4. quo in statu creati fuerint Angeli.

Resp. Juxta Patrum sententiam, in justitia & sanctitate creati sunt Angeli. *Eos Deus*, inquit Augustinus, *cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærerent, creavit*. (*Lib.* 12. *de Civ. Dei*, *cap.* 9.) *Il ne sort rien que de très-bon*, inquit Episcopus Meldensis, *d'une main si bonne & si puissante. Tous les esprits sont purs dans leur origine. Toutes les natures intelligentes étoient saintes dans leur création; & Dieu y avoit tout ensemble formé la nature, & répandu la grace*. (*IV. Semaine*, 1. *Elévat.*)

Quæres 5. utrum in justitia steterint Angeli.

Resp. 1. ex Angelis alios in justitia permansisse, non quidem vi solius liberi arbitrii, at speciali Dei beneficio, ut sic egregie notat Bossuet: *Je crois, si j'ose le dire faire plaisir aux saints Anges, en reconnoissant que celui qui leur a donné l'être comme à nous, la vie comme à nous, la premiere grace comme à nous, la liberté comme à nous, par une action particuliere de sa puissance & de sa bonté, leur a donné comme à nous encore, par une action de sa bonté particuliere, le bon usage de leur libre arbitre.... Oui, saints Anges, je me joins à vous, pour dire à Dieu que vous lui devez tout, & que vous voulez lui tout devoir, & que c'est par là que vous avez triomphé de vos malheureux compagnons, parce que voux avez voulu tout devoir à celui à qui vous deviez l'être, la vie & la justice, pendant que ces orgueilleux, oubliant ce*

qu'

qu'ils lui devoient, ont voulu se devoir à eux mêmes leur perfection, leur gloire, leur félicité. (*ibid. pag.* 65.)

Resp. 2. ex Angelis alios propria excellentia elatos a Deo superbe recessisse. *Ab illo qui summe est aversi, ad seipsos conversi sunt, & hoc vitium, quid aliud quam superbia est?* (*S. Aug. Lib.* 12. *de Civ. Dei*, *c.* 6.) Angeli qui adversus Deum Conditorem suum insolenter rebellarunt, vocantur *diaboli*, *dæmones*. Ex superborum Angelorum lapsu, hortandi occasionem sic arripit Bossuet: *Créature, quelle que tu sois, & si parfaite que tu te croies, songe que tu as été tirée du néant, que toi-même tu n'es rien: c'est du côté de cette basse origine que tu peux toujours devenir pécheresse, & dès-là éternellement & infiniment malheureuse. Superbes & rebelles, prenez exemple sur le Prince de la rébellion & de l'orgueil; voyez.... ce qu'un seul sentiment d'orgueil a fait en lui, & dans tous ses sectateurs. Fuyons, fuyons-nous nous mêmes; rentrons dans notre néant, & mettons en Dieu notre appui, comme notre amour.* (*Ibid. pag.* 62.)

Quæres 6. an inter Angelos rebelles primarius aliquis fuerit.

Resp. Inter eos unum fuisse Principem, qui alios ad rebellionem pertraxerit, ex Scripturis compertum est. *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.* (*Matth.* 25.) Beelzebub vocatur *Princeps Dæmoniorum*. (*Ibid. cap.* 12. *v.* 24.) *Draco pugnabat & angeli ejus.* (*Apoc.* 12. 7.)

Quæres 7. quinam sit Angelorum desertorum, sive dæmonum, locus.

Resp. Certum est 1. malos Angelos in infernum fuisse detrusos. *Deus*, inquit S. Petrus, *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos.* (*Ep.* 2. *cap.* 2. *v.* 4.) *Missus est Diabolus in stagnum ignis & sulphuris.* (*Apoc.* 20. 9.)

Cer-

Certum est 2. permultos dæmones in aeriis regionibus versari. Apostolus enim dæmonem vocat *Principem potestatis aeris hujus:* (*Ephes.* 2. 2.) & B. Petrus Fideles sic hortatur: *Vigilate, quia adversarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens; circuit quærens quem devoret.* (1. *Ep.* 5. 8.) Eo denique spectant varia Scripturæ loca, in quibus homines a dæmonibus obsideri, ad peccatumque allici dicuntur.

Quæres 8. quænam sit bonorum Angelorum conditio, quod ministerium.

Resp. Sancti Angeli ad eam plenissimam beatitudinem pervenerunt, ex qua numquam se dejiciendos esse certo cognoscunt. In ea felicitate immutabiliter constituti, de nostra salute sunt solliciti; nec dubitandum quin eorum ministerio erga homines utatur Deus. *Nonne*, inquit Apostolus, *omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?* (*Heb.* 1. 14.) Sic Angelus Gabriel mittitur tum ad Danielem, ut quo tempore venturus esset Messias eum edoceret: (*Dan.* 9.) tum ad B. Virginem Mariam, ut ipsi nuntium proferret se futuram esse Filii Dei genitricem (*Luc.* 1.); sic delegatur ad Tobiam Angelus Raphael, qui filium ejus in regionem Medorum comitaretur.

Quæres 9. utrum fidelis quisque Angelum habeat custodem.

Resp. Habet: idem enim de quolibet fideli sentiendum est, ac de Patriarcha Jacob, de Judith, de parvulis: atqui Angelum custodem habuit Jacob: *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* (*Genes.* 48. 16.) Habuit Judith: *Custodivit me Angelus.* (*Judith* 13. 20.) Habent etiam parvuli, sic testante Christo: *Angeli eorum in Cælis semper vident faciem Patris mei.* (*Matth.* 18. 10.) Quinimo singulis hominibus adesse Angelum custodem asserunt Patres multi. *Magna dignitas animarum*, inquit

S.

S. Hieronymus, *ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum*. (*in cap.* 18. *Matth. tom.* 4. *pag.* 83.) *Angelus in circuitu est hominis*, ait S. Ambrosius, *qui prætendit ne quis noceat ei*, (*in Psalm.* 38. *N.* 32. *tom.* 1. *pag.* 855.) *Putemus Angelos dici*, inquit S. Bernardus, *qui singulos singulis hominibus dati creduntur*. (*Lib.* 5. *de Consid. c.* 4. *n.* 8.)

Quæres 10. quid officii hominibus præstent Angeli custodes.

Resp. 1. Eos a periculis & malis avertunt, *Angelis suis mandavit de te, ut custodiam te in omnibus viis tuis*. (*Psalm.* 90.) 2. Opportuna suggerunt consilia. Hinc Deus Moysi præcipit, ut audiat Angelum, quem ipsi ducem dederat: *Observa eum & audi vocem ejus*. (*Exod.* 25. 21.) Orationes nostras, bonaque opera Deo offerunt. *Quando orabas cum lacrymis*, inquit Tobiæ Angelus Raphael, *& sepeliebas mortuos .... ego obtuli orationem tuam Domino*. (*Tob.* 12. 12.)

Quæres 11. quis sit Angelorum numerus & quotuplex ordo.

Resp. Innumeros esse Angelos passim docent sacri Codices: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, (*Dan.* 7. 10.) Certos ac diversos esse Angelorum ordines, semper in Ecclesia indubitatum fuit. Novem in Scripturis aperte designantur, nempe *Seraphim*, *Cherubim*, *Throni*, *Dominationes*, *Virtutes*, *Potestates*, *Principatus*, *Archangeli & Angeli*. Quibusnam vero proprietatibus vel officiis discriminentur, tacet Scriptura, & nescire se ingenue fatetur Augustinus: *Differre inter se aliquid; indubitata fide teneo; sed .... quid inter se differant nescio*. (*Lib. ad Orosium*, *cap.* 11. *n. ult.*)

DIS-

DISSERTATIO II.

DE MENTE UMANA.

Cum nihil homini sit propria mente magis intimum, cur tamen accidit, ut plerisque nihil sit sua mente magis incognitum? fere omnes modo huc, modo illuc versatili quadam levitate discurrunt. Dum naturæ totius investigant opera, animam suam, stupendum illud naturæ miraculum, pene obliviscuntur. Extra seipsos evagantur, mentem, cui ceterarum rerum notitiam debent, vix unquam meditantur. Proprium contuitum ita quasi effugit homo, ut pergratum habeat, quidquid eum a semetipso distrahit. Quid utilius tamen, imo quid magis necessarium homini esse potest, quam, cognito rerum omnium Conditore, in seipsum descendere, mentisque naturam & proprietates studiosius exquirere, ut explorata illius excellentia, nihil indecorum, nihil a sua dignitate alienum admittat? Quanti momenti sit hæc cognitio perspexere ipsimet Pagani. Hinc tanquam oraculum e Cælo delapsum Templi Delphici foribus hanc sententiam aureis litteris insculpserunt: *Nosce teipsum*. S. Augustinus Deum frequens sic deprecatur: *Noverim te, noverim me*; nihil igitur Philosopho, & præsertim homine christiano, dignius esse potest, quam diligens mentis suæ contemplatio, modo tamen eam intra vanam sterilemque speculationem non contineat, sed a morum vitæque institutionem referat.

Qudquid de mente humana dicturi sumus, ad quinque capita revocari potest. 1. erit de essentia; 2. de origine mentis humanæ; 3. de illius ab omni materia distinctione; 4. de ejus facultatibus; 5. de ejusdem destinatione.

CAPUT PRIMUM.

De Mentis humanæ essentia.

Circa mentis humanæ essentiam quatuor erunt articuli; in primo quasdam præmittemus notiones ad rerum postea discendarum intelligentiam necessarias; in secundo expendemus utrum claram distinctamque habeamus mentis nostræ ideam; in tertio an mens *essentialiter*, ac proinde perpetuo cogitet; in quarto quomodo definienda sit, & quodnam primarium illius attributum.

ARTICULUS PRIMUS.

Notiones præviæ.

Quæres 1. quid nomine mentis humanæ intelligatur.

Resp. Nomine mentis humanæ intelligunt omnes subjectum, in quo recipiantur cogitationes nostræ, sive substantiam quæ in nobis percipit, judicat, ratiocinatur, bonum amore prosequitur, varias occasione rerum sensibilium impressiones experitur, absentia imaginatione quasi de integro producit, præterita recordatur, futura providet, &c. Manifestum quippe est omnia hæc quæ in nobis, teste sensu intimo, peraguntur, ad principium aliquod, cujuscumque tandem naturæ sit, referenda esse. Præsenti igitur definitione non tam ipsius rei naturam, quam nominis significationem exponimus.

Quæres 2. quomodo unicuique nostrum constet propriam mentem existere.

Resp. Illud sensus intimi testimonio compertum esse. Cum enim nihil nullæ sint proprietates, & præterea in nobismetipsis varias deprehendamus affectiones, v. g. perceptiones, *volitiones*, *sensationes*, certo colligimus nobis inesse substan-

stantiam aliquam percipientem, volentem, sentientem, quam mentem nuncupamus. Eam ob cuasam affirmat Cartesius, notiorem esse mentis nostræ, quam rerum extra nos positarum existentiam, imo & corporis cui nostra conjuncta est anima.

Quæres 3. quid cogitationis nomine intelligatur.

Resp. Cogitationis nomen latiori sensu acceptum, omnes designat mentis affectiones & modos, cujuscumque sint generis, scilicet 1. perceptiones & cognitiones intellectus, sive absque sensibus, sive sensuum ministerio comparatas; 2. voluntatis propensiones & determinationes, quibus vel ad bonum *in genere*, vel ad bona particularia fertur; 3. *sensationes* sive impressiones in nobis occasione objectorum externorum excitatas. Nomen *cogitationis* strictiori sensu acceptum significat præsertim cognitiones & perceptiones intellectus.

Quæres 4. quid sit ipsa cogitatio in se considerata, & utrum definiri possit aut debeat.

Resp. Idea cogitationis est simplicissima, ac proinde nulla definitione indiget. Cum enim omnia cogitationis ope cognoscantur, per seipsam tantum, non per alterum intelligi potest. Cogitationis igitur notio ejus naturæ est, ut in alias ideas simpliciores resolvi nequeat: unde Cartesius (*Princip. Philos. part.* 1. *N. X.*) docet tam simplicem esse cogitationis, quam existentiæ ideam; quam ob causam, licet nomen cogitationis definierit, non tamen censuit rem ipsam esse definiendam.

Quæres 5. quotuplex distinguatur cogitationis species.

Resp. Duplex a Philosophis distinguitur cogitatio, *actualis* scilicet & *habitualis*.

1. Cogitatio *actualis* est ea, cujus objectum vel magis vel minus clara distinctaque perceptione mens apprehendit, eaque rursus dividitur in *directam* & *reflexam*. Cogitatio *actualis directa* ea

ea est, cujus conscientiam quidem habemus, sed levissimam, ita ut attentione & reflexione deficientibus, nullam sui recordationem adjunctam habeat. Tales sunt plurimæ cogitationes quas in vigiliis, & quandoque in somniis experimur: quarumque minime recordamur, quamvis fuerint reipsa menti præsentes; v. gr. qui libri alicujus lectioni incumbit, non tantum rerum atque verborum, sed etiam singularum litterarum perceptiones habet claras atque distinctas, cum ne una quidem littera deficere possit, vel ordine inverso se se oculis exhibere, quin legens hujus vel defectu vel singularitate commoveatur. Prædictæ tamen cogitationes neque reflexæ sunt, neque sui recordationem excitant, quia summa celeritate sibi succedunt, ideoque nullum in mente vestigium relinquunt. Insuper aliis perceptionibus, nempe rerum atque verborum superantur ac velut absorbentur. Cogitatio *actualis reflexa* est ea, cujus conscientiam habemus vividiorem, quæque attentione & reflexione accedentibus, comitem habet sui recordationem. Circa hujus cogitationis naturam nulla est Cartesianos inter & Lockianos difficultas.

2. Cogitatio *habitualis* est ea, cujus objectum confuse tantum & obscure a mente percipitur, sed quæ ipsi constanter inhæret, eaque potissimum de causa distinguitur a cogitatione directa, quæ fugax & transitoria est. Quamvis obscurissimam esse hujusmodi cogitationum naturam confiteamur, eas tamen existere constantibus experimentis, evidentibus ratiociniis, communibus Fidei Christianæ documentis demonstratur. V. gr. Philosophus altissimo somno dormiens, aut rebus a Philosophia plane diversis intentus, non ideo penitus amittit cognitiones indefesso labore, assidua meditatione comparatas; siquidem eas ad nutum facillime revocat, ubi primum ad se redierit. Hujusmodi autem habitus, utpote spiritales, non in cerebro materiali, sed in ipsa men-

mente sedem habent, quamvis eorum evolutio pendeat a dispositione organorum, tanquam ab occasione.

Habitus rursum dividuntur in *infusos* & *acquisitos;* priores in animam Deus ipse infundit. Talis est in homine invictus necessariusque felicitatis amor. Posteriores repetitis in eodem genere actibus comparantur. Hujusmodi est facilitas de rebus geometricis aut philosophicis disserendi.

Quæres 6. utrum dentur cogitationes minime perceptæ, *Pensées imperceptibles*, id est, quæ nullum sui sensum intimum pariant.

Resp. Non satis inter Cartesianos convenit, utrum dentur cogitationes minime perceptæ, id est, quæ nullam sui conscientiam generent. Alii partem negantem tuentur; cujus in sententiæ gratiam proferunt definitionem a Cartesio traditam, ab aliisque insignioris notæ Cartesianis receptam: *Cogitationis nomine*, inquit Cartesius, *intelligo illa omnia quæ nobis consciis in nobis fiunt, quatenus eorum in nobis conscientia est.* Illi itaque Philosophi perceptionis *sensum intimum* ab attentione & reflexione distinguere solent. *Sensu intimo*, *inquiunt*, mens certior efficitur præsentem esse perceptionem: *attentione* eamdem fixo perseverantique contemplatur intuitu: *reflexione* varias perceptionis partes secum invicem confert, aut perceptionem unam cum aliis comparat. Alii autem Cartesiani contendunt dari cogitationes minime perceptas; quot enim sunt in mente nostra, inquiunt, cognitiones & amores, præsertim *habituales*, quorum conscientiam non habemus! Hinc homines sæpe ignorant quibus inter agendum moveantur incitamentis, quibus regantur affectibus; hinc nemo, teste Scriptura, scit utrum amore aut odio dignus sit.

Nos vero controversiam hanc dirimendam non suscipimus, cum præsertim ex utraque parte concedatur, quarumdam cogitationum conscientiam a-

adeo remissam esse ac debilem, ut nullum retro vestium relinquat.

ARTICULUS II.

Utrum claram & distinctam habemus mentis nostræ ideam.

Si Philosophis quibusdam recentioribus, inter eos præsertim qui Lockii partes sequuntur: fidem habeamus, plurimas quidem, experientia duce, mentis nostræ facultates novimus v. g. percipiendi, judicandi, volendi, sentiendi: verum in quo constituta sit ipsius natura penitus nos latet; nullam enim, inquiunt, spirituum in genere, ac proinde mentis nostræ, quatenus est spiritus, claram & distinctam habemus ideam.

Ad sententiam illam ex aliqua saltem parte accedit Malebranchius, qui in eximio de *inquisitione veritatis* opere, aliisque passim contendit mentem nostram per sensum intimum, minime vero per ideam claram atque distinctam, nobis innotescere.

Dixi *ex aliqua saltem parte;* fatetur enim Auctor celeberrimus, imo desertis verbis asserit, neque spirituum in genere, neque spiritus increati ignotam esse naturam, quam juxta ipsum, in solo Deo, quemadmodum & ceteras veritates, contemplamus. Hinc absque dubitatione pronuntiat mentem humanam *essentialiter*, ac proinde perpetuo, cogitare; quod quidem Lockiani minime confitentur (*Recherche de la verité*, *Liv.* 3. *ch.* 1.)

PRO-

PROPOSITIO.

Claram atque distinctam mentis nostræ ideam habemus.

I. ARGUMENTUM.

Ex cognitione plurimarum mentis proprietatum.

Illud a nobis per ideam claram atque distinctam, licet imperfectam, percipitur, cujus plurimas novimus proprietates quas a se invicem accurate secernimus: atqui mentis nostræ plurimas, &c. 1. Quidem multas novimus mentis proprietates; quis enim ignorat mentem humanam esse propriæ existentiæ consciam; bonum *in genere*, seu felicitatem necessario, bona particularia libero amore prosequi, vim habere percipiendi, judicandi, ratiocinandi, eligendi, in seipsam & in ideas suas sese reflectendi; eam præterita recordari, futura providere, præsentium antecessiones & consecutiones complecti? porro istæ animæ rationalis dotes non minus facile intelliguntur, quam extensio, quam divisibilitas, figura, mobilitas, ceteræque materiæ proprietates. Enim vero quæcumque in mente nostra deprehendimus, revocari possunt ad cognitionem & amorem, quæ totidem sunt cogitationis species. Non solum autem ideam cogitationis habemus, sed etiam hujus ideæ tanta est simplicitas, ut in alias simpliciores resolvi non possit. Si enim cogitationis definitionem quæras, aliam cogitationem quæris, quæ & ipsa definitione indigebit; ergo vel admittendus est progressus sine fine, vel in ipsa cogitationis notione consistendum est, utpote ad quam omnes aliæ revocantur; ergo 1. plurimas novimus mentis nostræ proprietates.

2. Illas proprietates a se invicem accurate di-

stinguimus: v. gr. nemo est qui non facile secernat amorem ab odio, ideam a judicio, judicium a ratiocinatione; nemo qui non sentiat simul & percipiat, mentem suam in quibusdam activam esse: in aliis mere *passivam*. Exempli causa, mens nostra mere *passiva* est, quando impressiones sensibiles experitur, quia tunc rerum extra se positarum imaginibus, etiam nolens afficitur; activa est, cum in suas ideas sese replicat, cum judicat, ratiocinatur; hæc enim omnia quamdam arguunt ex parte mentis comparationem; comparare autem ideas ante receptas, quid aliud est quam agere? ergo 2. varias mentis proprietates accurate secernimus, aliunde easdem novimus; ergo claram & distinctam, licet imperfectam, habemus mentis nostræ ideam.

II. ARGUMENTUM.

Ex distinctione mentis & corporis quam adversarii nobiscum agnoscunt.

Mentem nostram a qualibet materia *essentialiter* distingui, v. g. a corpore cui conjuncta est, ab aliisque ambientibus, in hac secunda Pneumatologiæ parte demonstrabimus, ipsique confitentur adversarii. Jam vero quo jure pronuntiamus mentem nostram *essentialiter* a qualibet materia discrepare, nisi collatis secum invicem mentis & materiæ ideis, clare percipiamus alteram cum altera consociari non posse? Hoc principio fretus sic ratiocinatur D. Du Marsais, quem nimiæ erga Cartesianam doctrinam reverentiæ nemo suspicatus fuerit: *Un être est distingué d'un autre être, quand l'idée que j'ai de l'un est différente de celle que j'ai de l'autre, & sur tout lorsque l'une est incompatible avec l'autre... Or l'idée que nous avons de l'étendue renferme l'idée de plusieurs parties de longueur & de profondeur, & elle exclut l'idée de pensée &*

de

de sentiment. Donc ce qui est étendu, est distingué de ce qui pense: de même l'idée que nous avons de la pensée, ne renferme point l'idée de l'étendue & même l'exclut; ainsi l'âme étant en nous l'être qui pense, n'est pas l'être qui est étendu, & le corps étant en nous l'être étendu, n'est pas l'être qui pense, parce que l'idée de l'un n'est pas idée de l'autre. (Logique de Du Marsais, art. 3. de la distinction de l'ame & du corps.)

Nonne manifestum est ex ista demonstratione, nonne Auctor laudatus in conclusione disertis verbis asserit nobis inesse mentis, quemadmodum & corporis, ideam? ergo cum adversarii concedant mentis a corpore distinctionem, posse philosophica ratione demonstrari, fateantur necesse est inesse nobis claram atque distinctam propriæ mentis ideam.

III. ARGUMENTUM.

Ex Scientiis, quæ de mente humana disserunt.

Si natura mentis, aut saltem proprietates ad ipsius naturam pertinentes nos penitus lateant, quem in finem Dialectici tam multa præcipiunt de cogitationibus ad veritatem dirigendis? cur Metaphysici tantam curam impendunt in notione mentis evolvenda? cur rerum moralium & politicarum inquisitores, vel maxime reconditos pectoris humani sinus tam diligenter investigant? hæc enim omnia scientiarum genera nullo fundamento nituntur, nisi quasdam noverimus mentis proprietates, de quibus aliquid certi demonstrare valeamus.

Solvuntur objecta.

Obj. 1. quod solo sensu intimo cognoscimus, per ideam claram atque distinctam non percipitur: at-

atqui mentem nostram solo, &c. Scimus quidem, conscientia teste, nos cogitare; sed ignoramus cujus naturæ sit ipsa cogitatio; ignoramus quomodo mens nostra se habeat, quando percipit, judicat, ratiocinatur; ergo non habemus, &c.

Resp. Neg. min. Fateor equidem solius esse sensus intimi, nos de mentis nostræ affectionibus certiores efficere; hoc enim est sensus intimi munus, ut nobis referat quæcumque in mente nostra peraguntur: verum essentiam mentis, aut saltem proprietates ad ipsius naturam pertinentes per ideam claram atque distinctam, licet imperfectam, percipimus. Enim vero, ut jam diximus, omnes proprietates quas in mente deprehendimus; ad cogitationem revocari possunt. Cum autem omnia cognoscamus ope cogitationis, nihil ipsa notius esse potest. Quis enim sibi persuadeat claras esse plurimarum rerum extra nos positarum cognitiones, obscurum vero id esse cujus ope ea cognoscimus quæ in ipsa mente sedem habent? (Consulatur eximium opusculum, cui titulus est: *Traité de l'âme & de la connoissance des bêtes, suivant les principes de Descartes, chap. 2.*)

Quærentibus igitur adversariis quomodo mens se habeat quando percipit, judicat, ratiocinatur; cogitat, inquiemus, & nihil amplius reponemus: neque enim ulla imagine sensibili adumbrari potest cogitatio. Quis autem dixerit ideo cogitationem non intelligi; quia ipsius notio proprietates entis materialis non exhibet? inde concludendum est tantum ipsius ideam, sensuum imaginationisque captum superare.

Inst. probando min. Si claram atque distinctam haberemus substantiæ in nobis cogitantis ideam, facillime deprehenderemus quid in ista idea contineatur, quid ab eadem excludatur, ac proinde gravissimi errores in quos impingunt homines, etiam doctissimi, circa naturam ejusdem substantiæ facillime depellerentur; atqui tamen res longe

ali-

aliter se habet; ergo non habemus ideam substantiæ in nobis cogitantis. (Ita Malebranchius.)

Resp. Neg. maj. Nam simili ratiocinio probaretur adversus Malebranchium, & ceteros qui in hac parte nobis adversantur, nos neque Entis infinite perfecti, neque materiæ, neque rei cujuslibet ideam habere: nullum est enim humanæ cognitionis objectum, cujus omnes proprietates nobis compertæ sint, nullum quod non fuerit turpissimis quorumdam erroribus præjudiciisque deformatum. Ideæ, vel ex natura sua clarissimæ, intellectum illustrare, a falsisque judiciis immunem efficere non possunt, nisi in iis considerandis attentio diligens adhibeatur, ut constat maxime communibus Logicorum documentis. Ea de re consulatur Arnaldus. (*Traité des idées vraies & des idées fausses*, *chap.* 22. 23. & 24.)

Obj. 2. Solo sensu intimo & experientia quotidiana exploratum habemus, mentem nostram posse, occasione rerum sensibilium, quasdam experiri sensationes, v. g. doloris, famis, sitis, caloris, frigoris; neque enim suspicaremur mentem nostram esse his sensationibus ideam, si earum nunquam conscii fuissemus; ergo pariter ceteras mentis proprietates solius experientiæ testimonio compertas habemus, quatenus scilicet objecta externa in mentem nostram, interpositis sensuum organis, agunt.

Resp. Neg. conseq. & parit. Nam facultas sensationes quasdam, corporum occasione, experiendi, in idea mentis, quatenus mentis, necessario non continetur; mens enim posset absque corpore subsistere, nullamque cum ipso necessitudinem habere, si nempe Deus alium ordinem instituisset. Solo igitur sensu intimo experimur, mentem nostram quibusdam, occasione corporum, sensationibus affici, neque earum naturam clare atque distincte percipimus. At vero non tantum in mente nostra, sensu intimo teste, deprehendimus vim percipiendi, judicandi, ratiocinandi, vo-

len-

lendi, sed etiam illas proprietates naturæ spirituali inhærentes per ideam claram atque distinctam percipimus, ut constat potissimum ex probatione prima hujus quam defendimus propositionis.

Præterea inter sensationes & ideas proprie dictas illud est discriminis, quod ideæ sint ex natura sua uniformes, omnibusque intelligentiis communes, ita ut ideæ nostræ possint ab aliis percipi, si nempe efficiamus, ut ad seipsos attendant. Contra vero sensationes, cum pendeant a dispositione organorum, possunt in diversis hominibus esse diversæ, & quandoque sunt, ut constat experimentis indubitatis. Hinc fit ut sensationes meas alteri communicare nequeam, nisi earum sensum in ipso excitaverim, quod in mea potestate situm non est. Sic v. gr. colores cæcis, sonos ab ortu surdis demonstrare non possumus, quamvis documentorum auxilio, religionis, scientiarum & artium principia quandoque assequantur; ergo sensationes quæ nos afficiunt, solo experientiæ testimonio cognoscimus, ideas vero proprie dictas ad ipsam mentis naturam pertinere deprehendimus.

Inst. Si mentis naturam per ideam claram ac distinctam cognosceremus, ipsam sensationis naturam, hac ideo prælucente, facillime detegeremus: atqui tamen ex concessis, nescimus quid sit sensatio caloris, frigoris, famis, sitis, in ipsa mente spectata; ergo non cognoscimus naturam, ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Fateor equidem densissimis tenebris involutam esse sensationum theoriam, apud eos præsertim Philosophos qui ea, quæ ad objecta externa, vel ad sensuum nostrorum organa referri debuerant, non satis accurate ab iis discriminarunt, quæ in mente solam sedem habent. Hinc nati sunt errores circa sensationum naturam, quos tamen haud ægre dissipabit Cartesii ipsiusque Malebranchii doctrina bene intel-

le-

lecta, (Legatur imprimis & perlegatur liber primus eximii operis *de inquisitione veritatis*, ubi tota sensationum doctrina non minus accurate, quam ordinate exponitur). Verum nihil obscurum admittunt notiones perceptionis, judicii, ratiocinationis, amoris & odii, quæ omni definitione sunt clariores.

Objic. 3. Si mentis nostræ naturam perspectam haberemus, certo posset assignari attributum ipsius primarium, sive attributum quod primum in ea concipitur, & unde fluere intelliguntur ceteræ proprietates: atqui certo non potest assignari, &c. Ideoque ab ea quæstione definienda prudenter abstinent hodierni Metaphysici, ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Alicujus enim rei ideam claram atque distinctam habemus, si percipiamus quasdam proprietates ad ipsius naturam pertinentes, quamvis neque omnia attributa cognoscamus, neque primarium. Enimvero confitentur adversarii nobis aliquam, licet valde imperfectam, inesse Entis infinite perfecti notionem, & tamen plerique de assignando primario ipsius attributo non parum laborant. Pariter quamvis bene multas materiæ proprietates, tum ratione, tum experientia cognoscamus, nondum tamen inter Philosophos convenit de primario ipsius attributo. Quid plura? cuilibet ideæ, præsertim in Physicis, nuntius remittendus est, si nullam rem percipere valeamus, quin prius attributum ipsius primarium certo statuamus. Præfatam igitur quæstionem doctiorum judicio permittimus, ne minus certa certioribus inmiscere videamur.

Instabis: ex nostra responsione, ideo mentis nostræ naturam, saltem imperfecte, cognoscimus, quia quasdam percipimus proprietates, nempe cogitationem, variosque cogitationis modos, ad ipsius naturam pertinentes: atqui affirmari non potest illas proprietates ad naturam mentis pertinere, nisi jam supponamus 1. cognitam esse mentis naturam; 2. eam *essentialiter*, ac proinde

de perpetuo, cogitare, quod adversarii negant, nec probari potest, quin definiatur primarium mentis attributum; ergo non valet nostra responsio.

Resp. Neg. min. ejusque probationem: jure enim ac merito affirmamus cogitationem, variasque cogitationis species, ad naturam mentis pertinere, si Philosophi omnes, qui hactenus mentis notionem diligentius contemplati sunt, nihil omnino in ipsa, præter cogitationem variosque cogitationis modos, deprehenderint: atqui res ita se habet: quod ut magis innotescat audiamus D. S' Gravesande non parum a principiis Cartesianis alienum, qui tractatum *de mente humana* sic orditur: *Notre ame est douée d' intelligence, c' est à-dire, qu' elle a des perceptions qu' elle compare ensemble. Tout ce qui résulte de cette propriété, peut être appliqué à toutes les substances intelligentes*. (Introduction à la Philosophie, Métaphysique. Chap. 9. n. 103.)

Ita Philosophus de scientiis naturalibus optime meritus, unde sic licet argumentari: quod omnibus intelligentiis commune est, ad ipsarum naturam pertinet: atqui omnibus intelligentiis commune est habere perceptiones quas secum invicem conferant; ergo principium argumentationis inde assumi potest, quod cogitatio variique cogitationis modi ad naturam mentis pertineant. Hanc igitur naturam, saltem imperfecte, cognoscimus. Deinde ulterius progredientes, expendemus utrum sine cogitatione mens esse possit, utrum *essentialiter*, ac proinde perpetuo, cogitet. Hæc sane argumentandi ratio neque petitionem principii, neque circulum vitiosum involvit.

AR-

ARTICULUS III.

Utrum mens humana essentialiter, *ac proinde perpetuo, cogitet.*

Tres potissimum in hac quæstione Philosophorum sententiæ celebrantur.

1. Juxta Cartesianos, qui mentis humanæ essentiam in cogitatione sitam esse, aut saltem cogitationem ad ipsius naturam pertinere contendunt, anima & semper, & necessario cogitat. Enim vero, inquiunt, sublata cogitationis omnis humanæ mentis idea penitus evanescit, cum in ipsa nihil amplius concipiendum remaneat; restituta cogitatione, reviviscit aliqua saltem imperfecta mentis humanæ idea. Quidquid enim de hujus natura perspectum habemus, ad cognitionem & amorem, sive, quod idem est, cogitationem, reduci potest. Unde concludunt ii Philosophi se habere cogitationem ad mentem nostram, quemadmodum extensio se habet ad materiam, ac proinde mentem humanam sine cogitatione nec esse, nec concipi posse.

2. Philosophi nonnulli, inter eos præsertim qui Lockianæ doctrinæ nomen dederunt, solam cogitandi facultatem, minime vero cogitationem ipsam, ad essentiam mentis pertinere arbitrantur. Si enim cogitatio, inquiunt, ad naturam mentis pertineret, vel esset cogitatio in genere, vel cogitatio quælibet singularis ac determinata: atqui neutrum dici potest. Non 1. nam cogitatio in genere non existit, sed merum est animi figmentum; non 2. nulla enim fingi potest cogitatio singularis ac determinata, quæ in idea mentis necessario contineatur, alioqui toties mutaretur mentis essentia, quoties eam nova subiret cogitatio. Cum autem intra breve temporis spatium innumerabiles nascantur & evanescant cogitationes, nihil foret ipsius essentia mobilius, nihil in-

 cer-

certius: atqui tamen essentiæ rerum sunt immutabiles; nulla igitur cogitatio singularis ac determinata ad essentiam mentis constituendam requiritur.

3. Non desunt, hodiernis præsertim temporibus, Metaphysici, qui in præsenti controversia nihil definiant. Non enim, inquiunt, certo statui potest, nec certo negari mentem semper cogitare, cum neque sensus intimus, utpote affectionum præsentium, minime vero præteritarum, testis; neque memoria tam incerta, tamque fugax, neque idea mentis tam obscura tamque confusa litem hanc dirimere valeant.

Nos vero, ducibus Cartesio, Malebranchio, & omnibus fere sæculi proxime elapsi Philosophis, primam sententiam sequenti propositione tueri conabimur.

PROPOSITIO I.

Mens humana essentialiter, ac proinde perpetuo, cogitat.

I. ARGUMENTUM.

Ab idea mentis ipsius.

Illud est essentiale menti, ac proinde in ea continuo perseverans, quod in ipsius idea clara atque distincta continetur: atqui cogitatio in idea mentis, &c. Illud enim ab idea mentis sejungi non potest, quo posito, mens humana facile intelligitur, licet imperfecte; quo sublato non amplius intelligitur: atqui res ita se habet de cogitatione respectu mentis. 1. Posita cogitatione, mens, &c. Siquidem eam concipimus veluti substantiam divinitus comparatam ad percipiendum, judicandum, ratiocinandum, amandum; hæc enim omnia totidem sunt cogitationis species. 2. Sublata cogitatione, non amplius intelligitur mens hu-

humana; si enim aliquatenus conciperetur, maxime tanquam substantia cogitandi facultate prædita, quamvis eam non semper exerceat: atqui sola cogitandi facultas omni cogitatione destituta nullam mentis humanæ notionem suppeditare potest. Qui enim mentem non exhibet, nisi ut substantiam cogitandi facultate donatam, id unum de mente enuntiat, nempe eam ejusmodi esse, ut cogitare possit, vel aliquando sit cogitatura; porro illud non sufficit: ubi enim investigatur alicujus rei notio, quæritur non tantum qualis esse possit aut futura sit; sed qualis revera sit, quandiu existit; quæruntur ipsius natura, aut saltem proprietates ad ipsius naturam pertinentes, non vero capacitas nuda, inanis & omnium egena; enim vero eatenus potentia sive facultas haberi potest tanquam aliquid *reale* & *positivum*, quatenus aliquo fundatur attributo pariter *reali* & *positivo*: atqui in sententia Lockianorum, potentia cogitandi in qua plerique repositam volunt essentiam mentis humanæ, nullo fundatur attributo *reali* & *positivo*; mens quippe humana ab ipsis exhibetur veluti *tabula rasa quibuslibet vacua characteribus*; id est, nihil habens quod suum dicere possit, sed tantum ad aliquid postea recipiendum idonea; ergo mens humana concipi non potest tanquam substantia, quæ mera cogitandi facultate polleat.

Et certe inter omnia quæ cognoscimus objecta, nullum est cujus proprietates essentiales ad facultatem quandam vagam redigantur. Idea materiæ *realem*, non mere possibilem extensionem; idea hominis totius *realem*, non mere possibilem mentis & corporis conjunctionem; idea circuli *realem*, non mere possibilem rotunditatem includit; ergo pariter in idea mentis rationalis, cui pejorem conditionem imponere neque decorum videtur, neque cognitionum nostrarum analogiæ consentaneum, *realis* non mere possibilis cogitatio continetur; ergo 2. sublata, &c. aliunde posi-

sita cogitatione, &c.; ergo cogitatio in idea mentis necessario continetur, ac proinde, &c.

II. ARGUMENTUM.

Ab invicto & omnibus communi felicitatis desiderio.

Certum est omnes & singulos homines quoddam felicitatis genus numeris omnibus absolutum, & sine fine permansurum naturali invictoque desiderio appetere. Illud enim soli naturæ, tanquam causæ, deputandum est, quod in nobis est sine nobis, quod omnem reflexionem, educationem, institutionemve politicam antecedit: hac enim ratione principia naturalia secernuntur ab iis, quæ naturæ superaddita sunt. (*Abbadie de la vérité de la Religion Chretienne*, (section 1. chap. 2.) atqui tale est felicitatis perfectæ sempiternæque desiderium, illudque tanquam certum & indubitatum habent adversarii, ubi mentis humanæ immortalitatem moralibus argumentis defendunt; ergo naturale est, ac proinde omnibus & singulis hominibus commune desiderium de quo agitur. Jam vero nullum objectum desiderare potest humana voluntas, quin intellectus ejusdem objecti cognitionem habeat saltem confusam & obscuram; nihil enim amatum, quin præcognitum; sive, quod idem est, ignoti nulla cupido; ergo inhæret naturæ nostræ inchoata saltem quædam infinitæ & immutabilis felicitatis idea, quæ non minus quam desiderium, cujus est individua comes, jugiter in mente perseverat. Hanc doctrinam, ea quæ sibi familiaris erat verborum sententiarumque gravitate & sublimitate ita proponit illustrissimus Bossuet:

S'il y a quelque chose en moi qui ait toujours été avec moi même, c'est l'idée & l'amour de mon bonheur: car je ne puis jamais avoir été sans fuir ce qui me nuisoit, & desirer ce qui m'

m'étois convenable, ce qui ne peut provenir que du desir d'être heureux, & de la crainte de ne l'être pas. Ce sentiment commence à paroître dés l'enfance, & comme on l'apporte en venant au monde, on doit l'avoir eu, quoique plus obscurément & plus sourdement, jusque dans le sein de la mere. Voilà donc une idée qui naît en nous, avec nous, & un sentiment qui nous vient avec cette idée : & tout cela est en nous avant tout raisonement & toute reflexion. Quand la raison commence à joindre, elle ne fait autre chose que de chercher les moyens bons ou mauvais de nous rendre heureux : ce qui montre que cette idée & cet amour du bonheur est dans le fond de notre raison. (Elevation 9. II. semaine).

Hinc concludere licet omnibus & singulis hominibus inesse desiderium & consequenter ideam perfectæ cujusdam æternæque felicitatis, quam deinceps, accedente reflexione, in solo Deo collocatam esse percipimus, ut in decursu ejusdem ad Deum orationis docet auctor celeberrimus, cujus suffragio gloriamur; ergo mens humana *essentialiter*, ac proinde perpetuo, cogitat.

III. ARGUMENTUM.

Ex eo quod homo ad imaginem & similitudinem Dei conditus fuerit.

Nemo, nisi a fide christiana, imo & a ratione naturali alienus, diffiteri potest hominem ad imaginem similitudinemque Dei procreatum esse. Hanc veritatem ne ipsis quidem Philosophis Poetisque gentilibus ignotam, aperte docent divinarum Scripturarum oracula. Ex ea præclara similitudine hominem inter & creatorem suum tota humanæ naturæ excellentia derivatur. Unde sic Bossuet: *Moyse qui m'a dit que j'étois fait à l'image & ressemblance de Dieu, en ce seul mot m'a mieux appris quelle est ma nature, que*

ne peuvent faire tous les livres & tous les discours des Philosophes. (De la connoissance de Dieu & de soi même, chap. 4. n. 8.) Jam vero sola cogitandi facultate absque ulla cogitatione *reali* homo concipi non potest ad imaginem & similitudinem Dei factus; hæc enim facultas qualis a Lockianis intelligitur, id est, omni cogitatione destituta, nullam arguit perfectionem hic & nunc in mente nostra vere existentem, sed mera est ad perfectionem hanc tandem aliquando recipiendam habilitas. In sententia igitur quam impugnamus, mens humana, quandiu omni cogitatione vacat, non est imago Dei, sed aliquando esse poterit. Et quidem eximiam hanc dotem, si Lockio fides habeatur, quidam homines nunquam assequentur; imo dubitat utrum species humana sibi eos vindicet, qui propter imbecillitatem animi per totam vitam nullum dederint reflexionis & ratiocinationis indicium. (*Essais sur l'intendement*, *Liv.* 4. *chap.* 4. *sect.* 14.)

Contra vero in Philosophia Cartesiana, quæ perpetuam menti cogitationem tribuit, nihil apertius, nihil manifestius, quam imago Dei animæ rationali impressa. *L'image de la Trinité*, inquit Bossuet, quem optimum doctrinæ Cartesianæ patronum fuisse nemo nescit, *l'image de la Trinité reluit magnifiquement dans la créature raisonnable: semblable au Pere, elle a l'être: semblable au Fils, elle a l'intelligence: semblable au Saint-Esprit, elle a l'amour: semblable au Pere au Fils & au Saint-Esprit, elle a dans son être, dans son intelligence, dans son amour une même félicité, une même vie*. His verbis quibus, si necesse foret, accederet constans & uniformis ejusdem auctoris doctrina, manifestum est non in sola cognoscendi & amandi facultate, sed in ipsa cognitione ipsoque amore fundatam esse creaturæ rationalis cum auctore suo similitudinem; ergo ex eo quod homo ad imaginem Dei conditus fue-

fuerit, merito concluditur mentem humanam *essentialiter*, &c.

IV. ARGUMEMTUM.

Ex conjunctione mentis & corporis perpetua minimeque interrupta.

Humana mens a primo creationis instanti cum corpore conjungitur; per illam enim copulationem efficitur homo. Jam vero quidquid de mentis & corporis societate novimus, reduci potest ad mutuum quoddam & reciprocum utriusque substantiæ commercium, nempe cogitationem ex parte mentis, & motum ex parte corporis, & vicissim. Hoc fatentur omnes fere Philosophi, ne iis quidem exceptis, qui negant mentem humanam semper cogitare, aut saltem illud tanquam dubium in medio relinquunt. Hoc asserit imprimis D. Du Marsais, cujus testimonium suspectum esse non potest. His autem verbis mentem suam aperit; *Tout ce que nous savons de l'union de l'âme & du corps, c'est qu'à l'occasion des pensées & des volontés de l'âme, notre corps fait certains mouvemens; & que réciproquement à l'occasion des mouvemens de notre corps, notre âme a certaines pensées & certains sentimens, le tout conformément aux loix établies l'Auteur de la nature.*

Ad continuam ergo mentis corporisque conjunctionem requiruntur continuæ cogitationes ex parte mentis, quemadmodum continuus motus ex parte corporis; alioquin deficiente mentis cogitatione, deficeret utriusque substantiæ commercium, ut manifestum est; ergo ex perpetua mentis & corporis conjunctione sequitur, &c.

Neque dicant adversarii ex societate corporis minime interrupta, sensationes quidem continuas in mente exoriri, non cogitationes proprie dictas. Enim vero sensationes omnes naturali quodam ju-

di-

dicio ad invictum & congenitum felicitatis amorem referuntur; si enim gratæ sint, iis delectatur animus; si ingratæ, displicent, prout felicitati, quam in omnibus inquirimus, vel prodesse, vel nocere percipiuntur. Jam vero felicitatis amor a cogitatione proprie dicta sejungi non potest, cum sine aliqua, saltem obscura, cognitione esse nequeat.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Affirmari certo non potest mentem humanam *essentialiter*, ac proinde perpetuo, cogitare, neque etiam certo negari. Si quis enim judex posset hanc controversiam dirimere, esset vel sensus intimus, vel memoria: atqui neutrum potest esse hujus dissidii arbiter: non quidem sensus intimus; nos quippe tantum admonet de cogitationibus quibus *actu* afficimur, ac proinde nos edocere nequit utrum perpetuus minimeque interruptus fuerit in anima veluti cogitationum fluxus: hanc neque memoria potest controversiam definire; quis enim meminit an singulis instantibus cogitaverit, v. gr. dum altissimo obrueretur somno? ergo certò affirmari non potest, neque, &c.

Resp. Neg. maj. Neque enim sensus intimi vel memoriæ judicio permittenda est præsens controversia, sed potius claræ atque distinctæ mentis ideæ: atqui jam probavimus in idea mentis rationalis ita includi cogitationem, ut, ea sublata, nihil amplius in mente concipiendum remaneat: si quid enim superesset, maxime facultas cogitandi omni cognitione *reali* destituta: atqui prædicta facultas, qualem intelligunt adversarii, nihil clarum atque distinctum exhibet. Enim vero facultas quælibet, aut merum est imaginationis figmentum, aut supponit aliquid *reale* & *positivum* in quo fundetur, v. g. facultas pulsandi instrumenta musica, quatenus in corpore specta-

ctatur, originem ducit ex quadam organorum dispositione mechanica, & imprimis ex nervos flectendi, digitosque movendi expedita facilitate. At vero recipiendæ cogitationis facultas, quam solam menti e creatoris manibus prodeunti largiuntur adversarii, nullo fundatur attributo *reali* & *positivo*; siquidem animam exhibent quasi *tabulam rasam*, *quibuslibet vacuam characteribus*; quid aliud ergo erit prædicta facultas, quam inane figmentum? Qua de re consulatur eximium opus, cui titulus est: *Essais de Metaphysique*. (*Ch.* 15. *n.* 18.).

Instab. probando maj. Admittendæ non sunt in mente cogitationes quarum nullus est sensus intimus, nulla recordatio. Nam 1. repugnat mentem cogitare suæque cogitationis minime consciam esse; 2. cujus utilitatis sunt perceptiones, quæ ubi primum excitatæ fuerint, statim oblivione deleantur? nonne mens his perceptionibus minime intenta similitudinem refert speculi quaslibet rerum objectarum imagines recipientis, nullas retinentis? atqui si mens humana *essentialiter*, ac proinde perpetuo, cogitet, admittendæ sunt in ipsa quædam cogitationes, quarum nullus, &c. illudque confirmatur tum infantium, præsertim in utero materno, tum graviter dormientium exemplo; ergo deficiente sensus intimi memoriæque testimonio, affirmari non debet mentem *essentialiter*, &c.

Resp. Neg. maj. ejusque probationem; 1. Esto cognitio quælibet adjunctam habeat sui conscientiam quod neque affirmare neque inficiari velimus, saltem intimus hic sensus, cogitationis cujuslibet comes individuus, tam remissus tamque debilis esse potest, ut nullum retro vestigium relinquat. Illud autem phœnomenum contingit, vel quia nondum adhibendæ attentioni mens idonea est, vel quia diversis plane cogitationibus tota detinetur. Hujus facti tam communis tantaque admiratione digni veritatem suadet valde angusta men-

mentis finitæ capacitas, eamque vel minime occulato compertam facit experientia quotidiana. Enim vero si mens humana nihil cognitionis amorisve possideat, nisi quod *actuali* reflexione contempletur, jam de iis omnibus perceptionibus quæ *directæ* vocantur, jam de habitibus ipsis conclamatum est; ad naturam enim impressionum illarum pertinet, ut sensum sui non faciant nisi levissimum, ac pene nullum. 2. Non ideo negandæ sunt vel infantibus, vel altissimo somno dormientibus, vel gravi lethargo pressis, quælibet cogitationes, quia supervacaneum videtur mentem cogitare, dum nulla remanet in nobis hujus cogitationis recordatio. *Quis enim nescit nos, etiam vigiles, de mille rebus intra horæ spatium cogitare, quarum vestigium in nobis nullum superest, & quarum utilitatem haud melius percipimus, quam eorum quæ ante ortum cogitare potuimus?* (*Ita Cartesius ep.* 105. *par.* 1.)

Insuper unde compertum habent adversarii prorsus inutiles esse cogitationes, quæ statim videntur oblivioni deleri? Huic assertioni minime favet experimentum sequens, omnibus notissimum: Adolescenti imponuntur duodecim circiter Virgiliani versus memoriter discendi. Eos attente legit ter quaterve, priusquam somno indulgeat; deinde e placidissima quiete excitatus primo mane ad unguem recitat. Sane per noctem, in utramque aurem dormiit, ut supponitur. Numquid concludendum est penitus evanuisse præconceptas verborum sententiarumque notiones, quas sibi restitutus, tanta cum celeritate, animo recolligit? (*Vide primam adnotationem in caput* 1. *libri* 2. *operis cui titulus est: Essai sur l'entendement humain.*) Innumera alia proferre possem experimenta, quibus constat inesse menti nostræ perceptiones sive *directas*, sive *habituales*, quæ apud nos velut inscios, tacite resident. Dicant adversarii, quantum libuerit, obscurissimam esse perceptionum istarum naturam, respondebimus longe ob-

obscurius videri mentem spiritalem omni prorsus cogitatione vacuam esse. Denique factis supra dubium omne positis nulla ratio speculativa prævalere debet. Ea de re consulantur 1. opus cui titulus est: *Action de Dieu sur la créature* (*Section* 5. *chap.* 3.) 2. Alterum opus sic inscriptum: *Essai de Métaphysique cap.* 5. *nu.* 15. 16. *& suiv.*)

Objic. 2. Si cogitatio in idea mentis necessario contineretur, vel esset *cogitatio in genere*, vel cogitatio quædam singularis ac determinata: atqui neutrum dici potest. Non 1. nam *cogitatio in genere* merum est animi figmentum; non 2. nulla est enim cogitatio singularis ac determinata, qua pereunte, ipsa mentis essentia perire censeatur: ergo, &c.

Resp. 1. Neg. maj. Neque enim arbitramur cogitationem *in genere*, neque cogitationes plerasque singulares ac determinatas ad essentiam mentis pertinere. Contendimus tantum mentem jugiter aut his aut illis cogitationibus informari. Res illustratur exemplo ceræ, aut cujuslibet corporis, quod neque figuram in genere, neque hanc potius quam illam sibi vindicat; sed ejus naturæ est, ut qualicumque figura donetur.

Resp. 2. Neg. min. quoad 2. partem. Quædam sunt enim cogitationes singulares ac determinatæ, sine quibus intelligi non potest mens humana; talis est imprimis existentiæ propriæ conscientiâ, cum invicto felicitatis desiderio conjuncta. Hanc responsionem auctoritate sua confirmat D. Bossuet.

Supposons que Dieu qui nous donne tout, & peut aussi nous ôter ce qui lui plait, nous ôte tout, excepté notre être, & l'idée de notre bonheur, & le desir qui nous presse de le rechercher: nous serons quelque chose de fort simple; mais dans notre simplicité, nous aurons trois choses qui ne diviseront point notre unité simple, mais plutôt qui concurreront toutes

trois

trois à sa perfection. His verbis innuit auctor celeberrimus mentem rationalem suis omnibus modificationibus exutam, tamen intimum existentiæ propriæ sensum, congenitumque felicitatis amorem servaturam esse; ergò quædam sunt, &c. sine quibus, &c.

ARGUMENTUM IV.

Quomodo definienda sit mens humana, & quodnam primarium illius attributum.

Quæres 1. Quomodo definienda sit mens humana.

Resp. Hujus quæstionis solutio ex iis quæ superius dicta sunt facillime colligitur. Verum observandum est in antecessum varias a Philosophis afferri mentis humanæ definitiones.

Prima definitio est recentiorum a quibus, post sanctum Augustinum, mens humana dicitur *substantia rationalis, seu cogitationis particeps regendo corpori accomodata*. Prior definitionis pars mentem spectat sub ipsa mentis notione, altera mentem quatenus humanam; sola enim conjunctione mentis & corporis intelligitur homo.

Secunda est quorumdam e schola Philosophorum. *Mens*, inquiunt, *est substantia spiritalis, creata & incompleta*. Dicitur *spiritalis*, ut secernatur a corporibus; *creata*, ut distinguatur a Deo; *incompleta*, quatenus ab Angelis differt: neque enim Angeli, quemadmodum mens humana, ad ineundam cum aliquo corpore societatem destinati sunt, neque suis in functionibus pendent a sensuum organis.

Quamvis ambæ istæ definitiones in eamdem fere sententiam recidant, priorem tamen anteponimus, quia clarius explicare videtur naturam rei definitæ. Unde sit

PRO-

PROPOSITIO.

Mens humana recte definitur substantia rationalis, *seu* cogitationis particeps, regendo corpori accommodata.

Prob. 1. pars: Illud ad mentis naturam pertinet, quod in ipsius idea ita continetur, ut eo sublato, mens nec esse nec concipi possit: atqui in paragrapho secundo hujus articuli ostendimus cogitationem in mentis idea ita includi, ut ea sublata, &c. ad mentis ergo naturam pertinet cogitatio, & proinde mens accurate definitur *substantia naturalis*, sive *cogitationis particeps*.

Probatur 2. pars, scilicet *mentem humanam regendo corpori esse accommodatam*. Nam conjunctionis mentem inter & corpus prima lex est, ut corpus menti, minime vero mens corpori famuletur, alioquin perturbatur ordo divina voluntate constitutus. Hinc celeberrimus Bossuet primam humanæ naturæ excellentiam depingit his verbis: *L' homme commande à ses sens intérieurs & extérieurs, & à son imagination qu' il tient captive sous l' autorité de la raison, & qu' il fait servir aux opérations supérieures. Il modére les appétits qui naissent des sens: & dans l' origine il étoit maître absolu de toutes choses, Car telle étoit la puissance de l' image de Dieu en l' homme, qu' elle tenoit tout dans la soumission & dans le respect.* (*Quatr. semaine, élévation huit.*)

Quæres 2. Quodnam sit primarium mentis humanæ attributum: quo nomine intelligitur illud attributum, quod primum in aliqua re concipitur, & unde ceteræ illius proprietates defluunt.

Resp. Circa primarium mentis humanæ attributum scinduntur Philosophi, quorum præcipuas opiniones ita referemus, ut quibus vitiis laborent non simus dissimulaturi.

Sen-

Sententia I. Cartesiani primarium mentis humanæ attributum in cogitatione *actuali* constituunt. Titulus ille, inquiunt, cogitationi debetur, si illud sit quod primum in mente concipiatur, & ab ea dimanent ceteræ mentis proprietates: atqui utramque hanc dotem sibi merito vindicat cogitatio. 1. Quidem illud est quod primum, &c. Vel enim cogitatio prima nobis in mente occurrit, vel facultas cogitandi: atqui id posterius dici nequit; nam potentia quælibet supponit attributum essentiale a quo fluat. Sic corporis ad motum & quietem habilitas ab extensione dimanat; ideo quippe corpus moveri potest, & quiescere, quia constat partibus quæ a corporum quorumdam vicinia, in aliorum corporum circumjectorum vicinitatem transferri possunt, vel in eorumdem corporum vicinia constanter permanere; ergo facultas quælibet supponit attributum, &c. ac proinde facultas cogitandi non est quid primum in mente; superest igitur ut cogitatio prima sese offerat. A cogitatione fluunt ceteræ mentis proprietates, nempe vis percipiendi, judicandi, amandi, eligendi; quid est enim percipere, judicare, amare, eligere, nisi hoc vel illo modo cogitare? ergo 2. diversæ mentis proprietates a cogitatione defluunt: Aliunde, &c. ergo, &c.

Sententia II. Quidam Philosophi, juxta principia doctrinæ Lockianæ, primarium mentis attributum reponunt in ipsa *facultate cogitandi*, ita ut mens absque cogitatione *actuali*, & esse & concipi possit, prius est enim, inquiunt, posse cogitare, quam revera cogitare.

Sententia III. Non desunt Metaphysici, qui essentiam mentis in *activitate* collocatam velint, idest, in facultate qua possit propriis internisque viribus in actum erumpere; hac enim potissimum dote mentes distinguuntur a corporibus quæ propria vi agere non possunt, sed quæcumque habent, a causis externis mutuantur.

Sen-

Sententia IV. Denique Philosophi non pauci primarium mentis attributum in occulto latere pronuntiant: omnes enim, inquiunt, quæ hucusque excogitatæ sunt circa istam quæstionem sententiæ, nulla sufficienti ratione nituntur, gravissimisque urgentur incommodis.

Quæres 3. Quænam sententia videatur anteponenda.

Resp. 1. Admittenda non est Lockianorum sententia: supponunt enim mentem nostram nec *essentialiter*, nec perpetuo cogitare, quod falsum esse probavimus.

2. Non satis advertere videntur tertiæ sententiæ patroni quasdam esse mentis modificationes, in quibus mere *passiva* est, quæque proinde ab ipsius vi activa non derivantur; quis v. g. dixerit mentem humanam ideo caloris frigorisve sensationibus affici, quia est activa?

3. Anteponenda videtur sententia Cartesianorum quorumdam, qui primarium humanæ mentis attributum in cognitione *entis* seu, quod idem est, *veri*, & amore boni situm esse volunt, eoque reducunt prima cogitationis elementa. Mens enim humana, ut fatentur omnes, duabus constat facultatibus, intellectu scilicet & voluntate; quemadmodum autem intellectus *verum* sive *ens* cognitione apprehendit, ita etiam voluntas ad bonum amore fertur: hinc tanquam ex origine communi, derivantur omnes cognitiones & amores quæ ad objecta particularia referuntur. Nihil enim cognoscere possumus, nisi sub ratione *veri*, nihil amare nisi sub ratione *boni*: nemo unquam decipi voluit; nemo propriæ felicitatis amorem abjicere potuit. Et quidem in hac sententia nihil tam humanæ naturæ consentaneum est, quam ut Deo per cognitionem & amorem conjungamur; Deus enim solus est summa veritas bonumque infinitum, explendis omnibus nostris facultatibus idoneum.

Diximus *ens* & *verum* esse quidem unum & i-

idem: quam assertionem illustrarunt ista D. Bossuet verba: *Quand on se trompe, c' est qu' on n' apperçoit pas: le faux, qui n' est rien de soi, n' est ni apperçu, ni intelligible. Le vrai, c' est ce qui est; le faux, c' est ce qui n' est pas. (De la Connoissance de Dieu & de soi même, page* 76.)

Ceterum, sive cogitatio censeatur primarium mentis attributum, sive non, persuasum haberi potest ideam cogitationis ab idea mentis sejungi non posse, ac proinde mentem humanam recte definiri substantiam rationalem, sive cogitationis principem, regendo corpori accommodatam. Res enim aliqua definiri potest, sin minus per essentiam, saltem ope earum proprietatum, quæ ad ipsius naturam pertinent.

CAPUT II.

De origine Mentis humanæ.

Circa mentis originem variæ prodierunt opiniones. 1. Platonici fingebant animas, vel ab ipso mundi exordio fuisse simul creatas, deinde lapsu temporum in corpora immissas, propter delicta quæ commiserant. Ad eam opinionem accedunt multi, qui creatas ab initio mentes, pro Dei libito, & citra prævium peccatum, in corpora *successive* detrudi arbitrantur.

2. Pythagorici censent animas ab initio factas fuisse, totidemque in corpora immissas. Dum vero corpora alia intereant, dum alia nascuntur, mentes ex aliis in alia commeant. Conditionem vel meliorem, vel deteriorem obtinent, prout in corpore ex quo solvuntur bene vel male vixerint. Hæc animarum e corporibus in corpora migratio perpetua, vocatur *Metempsycosis*.

3. Leibnitzius cum aliis nonnullis existimat omnes hominum mentes, jam a mundi constitutione creatas fuisse, & corporis proprii germini-bus

bus conjunctas. Ubi lapsu temporum evolvitur cujusvis corporis germen, varias incipit mens affectiones experiri, dum antea sopore altissimo veluti constricta erat. Juxta Leibnitzium, & germen corporum omnium, & singulorum animæ in Adamo continebantur.

4. Ex Paganis multi opinabantur animam nostram quamdam esse particulam ex substantia divina decerptam. Inter Christianos ipsos exstitere nonnulli hujus absurditatis defensores.

5. Alii excogitarunt animam quamdam per mundum universum diffusam, quæ ipsi motum & vitam impertiret. Animæ autem hujus mundanæ particulam esse mentem nostram finxerunt.

6. Docuerunt nonnulli animam humanam oriri ex *traduce*, id est, mentem filiorum traduci a mentibus parentum, eodem fere modo quo filiorum corpora a parentum corporibus propagantur. Quod illustrabant exemplo facis, cujus lumine lumen aliud accenditur, sine ullo prioris detrimento. Hanc opinionem adversus Pelagianos adhibuit Augustinus, ut peccati originalis in omnes Adami posteros diffusionem facilius explicaret; sed deinde ab ea, tanquam falsa, recessit.

7. Ceteri omnes consentiunt animas humanas a Deo creari, & in singulis corporibus infundi, statim atque suis organis instructa sunt; quod, juxta communem sententiam, contingit 40., post conceptum fœtum, diebus.

PROPOSITIO I.

Anima humana nec divinæ substantiæ, nec animæ cujusdam mundanæ particula est, nec oritur ex traduce.

Prob. 1. pars. Substantiam divinam omnino simplicem esse demonstravimus: atqui talis non foret in hypothesi quam refellimus; tot enim consta-

ret partibus distinctis & dividuis, quot sunt, vel esse possunt spiritus creati. Præterea quomodo tot tenebris obsita, tot mutationibus obnoxia, tot maculis contaminata mens esse potest, quæ cælestis est ac divina? quomodo tot malis conflictatur, quæ ab ipso felicitatis fonte decerpta est? quomodo inanibus votis toties deluditur, quæ portio est entis supremi, cui soli gloria & potestas? Dei notionem profecto evertunt, qui talia fingunt.

Prob. 2. Pars. Quia ridiculum est figmentum anima illa generalis, qua mundus dicitur informatus; ex qua distractæ & avulsæ dicuntur mentes humanæ. Num corporea, num spiritualis foret ea mens universalis, per totum orbem diffusa? Si corporea, ejusdem naturæ erit mens humana; quod postea confutabimus. Si vero spiritalis, quomodo dividitur, discerpitur, dilaceratur? Ergo anima hæc humana, vox inanis est, quam excogitarunt veteres Philosophi, ut suam obtegerent ignorantiam.

Prob. 3. pars. Propagatio *ex traduce* plures exigit partes, quarum aliæ traducantur, aliis remanentibus: atqui mentem humanam partium omnino expertem esse, mox probabimus. Et certe quo pacto ex substantia animæ parentum propagari mens humana potuisset? numquid tota parentum anima in filios transiisset? ergo anima penitus orbarentur parentes, nec plures generarent filios mente informatos. Numquid pars animæ parentum in filios permeasset? ergo mens humana dividi posset & distrahi, ac proinde foret corporea: quod absurdissimum esse ostendimus.

PROPOSITIO II.

Mentes humanæ ante corpora non existere.

Prob. Si mentes ante corpora existerent, vel quia per *Metempsycosim* in varia corpora transmi-

migrarent; vel quia ab initio creatæ, in corpora deinde immitterentur, sive propter quædam peccata, sive ex mero Dei placito; vel tandem quia primigeniis corporum germinibus conjunctæ fuissent: atqui nihil horum credibile est. Dicendum enim foret mentes illas jam a longo tempore creatas, aut tempore quodam & inertia fuisse constrictas, aut plurimas exercuisse functiones & operationes, quarum nulla deinde superesset recordatio: utrumque vero prorsus incredibile est.

PROPOSITIO III.

Spiritus humanus tunc creatur, cum corpus, cui destinatur, suis organis satis instructum est.

Prob. Ea est mentis destinatio, ut corpus humanum informet, ipsique arctissime jungatur; rationi proinde consentaneum videtur, animam non prius creari, quam inter eam & corpus mutuum existere possit commercium; illud autem ab organis corporeis pendet. Rationi accedit auctoritas Ecclesiæ, quæ in Concilio generali Viennensi congregata definivit, animas eodem instanti a Deo procreari, quo nostris junguntur corporibus. Unde natum est effatum illud theologicum: *mens creando infunditur, infundenda creatur.*

CAPUT III.

De Mentis humanæ a Materia distinctione.

Inter veteres Philosophos exstitere plurimi, qui mentem humanam esse corpoream docuerint. Eam scilicet sibi fingebant veluti corpus aliquod subtilissimum & motu celerrimo agitatum, nempe aut ignem, aut aerem, aut partes sanguinis tenuissimas & maxime defæcatas, aut tandem ali-

liquid ex quatuor elementis quasi mistum, & sublimiori quodam modo compositum. Inter recentiores vero, alii mentis a corpore distinctionem aperte impugnarunt, ut medicus *La Metrie*, qui hominem meram esse machinam contendit; alii vero eamdem veritatem quasi per cuniculos adoriuntur, modo insidiosis interrogationibus, modo conjecturis dubiisque propositis; nunc conqueruntur omnipotentiam divinam angustioribus circumscribi limitibus; nunc in re adeo seria jocis & salibus, non semper atticis, indulgent. A posteriori illa Materialistarum secta non satis recessit Lockius, Philosophus Anglus, in eo capite, sicut in aliis pluribus, audacior. In opere enim cui titulus; *Essai philosophique concernant l'entendement humain*, profitetur nescire se, saltem revelatione semota, annon Deus cuidam portioni materiæ, certo modo dispositæ, indiderit cogitandi facultatem. Contra exitialem hanc pestem miserrimis hisce temporibus latius grassantem, sit

PROPOSITIO.

Mens humana est omnino simplex, omnisque materiæ expers.

ARGUMENTUM I.

Anima est principium cogitans: atqui principium cogitans necessario est simplex; siquidem cogitatio non potest in subjecto composito inesse. Ad illud enim requireretur, ut vel tota cogitatio existeret in singulis subjecti compositi partibus, vel ut in una ejusdem parte una pars cogitationis, & in altera subjecti parte altera pars cogitationis resideret, vel denique ut tota aliquam tantum subjecti partem afficeret: atqui nihil horum dici potest.

1. Quidem cogitatio tota esse nequit in subjecti

cti cogitantis partibus singulis; alioqui multiplex esset cogitatio, dum unica supponitur, multiplexque principium cogitans. Sic cum dubito, totidem essent dubitationes, totidemque principia dubitantia, quot sunt partes in principio meo cogitante: atqui id absurdum est: ergo 1. cogitatio tota esse non potest in singulis subjecti compositi partibus.

2. Nec dici potest in una parte subjecti compositi esse unam cogitationis partem, & alteram in altera; tum quia cogitatio nullas habet partes, sed vel tota, vel nulla est; tum quia nulla pars principii cogitantis esset conscia totius cogitationis; nulla integrum objectum, triangulum, v. g. perciperet; ergo 2. &c.

3. Ridicule prorsus diceretur totam cogitationem in aliqua tantum parte subjecti compositi residere. Cur enim pars aliqua cogitaret, potius quam altera? Undenam singulare illud privilegium habuisset? ergo dici non potest totam cogitationem in aliqua duntaxat objecti compositi parte existere; ergo cogitatio non potest in subjecto composito recipi; ergo principium in nobis cogitans, sive mens humana est necessario simplex.

ARGUMENTUM II.

Principium in homine cogitans facultatem habet judicandi; ergo est simplex. Judicium enim fit pronuntiando unam ideam cum alia convenire, vel repugnare. Ad judicandum proinde necesse est ut duæ simul habeantur ideæ. Ad pronuntiandum v. g. circulum non esse quadratum, requiritur ut principium in homine cogitans, ideas circuli & quadrati simul habeat, & utriusque conscium sit; alioquin eas inter se comparare non posset, nec judicare unam cum altera non convenire; atqui si principium in homine cogitans, corporeum sit & extensum, non poterit utriusque illius ideæ fieri conscium. Tunc enim u-

unam ipsius partem idea circuli, & alteram idea quadrati partem afficiat, & neutra pars, utpote quæ ab altera distinguitur, utriusque ideæ simul erit conscia. Duæ scilicet illæ partes principii in homine cogitantis, se haberent ut duæ animæ a se invicem distinctæ, quarum unam idea circuli, & alteram idea quadrati afficeret: atqui tunc neutra anima esset utriusque ideæ simul conscia, ergo pariter neutra pars principii in homine cogitantis foret simul conscia ideæ circuli, & ideæ quadrati; ergo principium in homine cogitans non posset alteram cum altera conferre, nec proinde judicare unam cum altera non convenire: quod ab experientia quotidiana prorsus alienum est; ergo ex judicandi facultate manifestum est, principium in homine cogitans esse omnino simplex, nec constare partibus a se invicem distinctis.

Præterea qui multos experitur sensus; v. gr. qui concentum audit, & simul hortum videt variis florum coloribus distinctum, judicare potest an vocum concordia, an diversis florum coloribus magis delectetur: atqui id contingere nequit in sententia Materialistarum. Pars enim animæ quæ symphoniæ permulcetur, prorsus distincta est a parte, quæ vario florum spectaculo recreatur: siquidem materiæ pars quælibet ab alia prorsus distinguitur; non potest igitur anima diversos illos sensus secum invicem comparare, & in uno quasi puncto colligere, nec proinde judicare uter sit jucundior. Quam autem illud a veritate abhorreat, nemo est qui sensu intimo non deprehendat.

Argumentum illud tanti roboris ipsimet Baylio visum est, ut dicere non dubitaverit: *On peut dire que cette preuve est une démonstration aussi assurée, que celles des Géometres; & si tout le monde n'en sent pas l'évidence, c'est à cause que l'on n'a pu, ou que l'on n'a point voulu s'élever au-delà des notions d'une imagination grossiere.* (*Tom. 1. oper. pag.* 110.)

AR-

ARGUMENTUM III.

Principium in homine cogitans, liberum est, suorumque actuum dominus: unusquisque enim sibi intime conscius est, se pro suo arbitrio agere, vel non agere: atqui principium ejusmodi spiritale est, ab omnique corporea fæce segregatum. Nemo quippe sanus dixerit corpus esse liberum, sui suorumque motuum dominum. Si enim hac dote polleret, pro suo nutu, vique propria posset sibi motum dare, vel datum sistere, vel alio detorquere & flectere: atqui nihil horum posse corpus, sive materiam, constans probat experientia; ergo principium in homine cogitans & liberum, a corpore, sive materia, prorsus distinguitur.

ARGUMENTUM IV.

Certum est ab omnibusque concessum, mentem humanam, sæcula temporaque omnia recordando quasi recordare, & in elapsas jamdiu ætates excurrere, facta præterita intueri, generalia scientiarum principia, & veritates a sensibus remotissimas cognoscere: atqui nihil simile convenit materiæ, quantumvis subtilissima fingatur, & quocumque motu donetur: materia enim & motus in ea tantum possunt agere, quæ præsentia sunt & sensibilia; in res autem præteritas, & supra sensus positas, nihil omnino valent; ergo mens humana prorsus a materia qualibet secernitur.

ARGUMENTUM V.

Ex legibus mechanicis depromptum.

Si principium in homine cogitans esset corporeum, tunc cogitationes, deliberationes, determi-

minationes nihil aliud essent, quam motus mechanici, vel ipsorum effectus necessarii: atqui tamen id absurdum est. In mechanicis enim instar axiomatis est, inter effectus eorumque causas semper accuratam esse proportionem: atqui principium illud ab omnibus concessum, locum non habet in nostris cogitationibus, deliberationibus & determinationibus. Quod ut manifestum sit, audiatur vir clarissimus D. de Fontanelle, quem ita loquentem inducit D. Boulliè in sermone de libertate actionum humanarum.

On sait que dans l'action des forces méchaniques, l'effet se proportionne toujours exactement à sa cause; mais dans nos mouvemens volontaires, ce principe n'a plus lieu. Une boule, par exemple, que j'aurai jetée, ne communique à une seconde boule, qu'un mouvement proportionnel à celui que ma main aura imprimé à la premiere: mais que je dise à quelqu'un à l'oreille, il y a des archers qui vous guettent au coin de la rue pour vous prendre, aussi-tôt mon homme se met à courir à toutes jambes. On voit bien qu'il n'y a aucune proportion entre ce peu de paroles dites à l'oreille, ou, si l'on veut, entre l'ébranlement qu'elles causent au cerveau de cet homme, & l'impétuosité de la course qui en est l'effet. Qu'est-ce donc qui s'interpose entre ces deux choses? une idée de danger, & ensuite une volonté de fuir, laquelle imprime aux jambes ce mouvement violent. Or cette idée qu'une foible impression de l'air vient d'exciter, cet acte de vouloir, qui fait à son tour sur le corps des impressions si puissantes, démontrent dans l'âme, un principe interne d'action au quel le corps obéit. Le cerveau de cet homme a bien transmis le son de ces mots dits à l'oreille; mais c'est leur sens, c'est-à-dire, une perception toute spirituelle, qui met l'âme en jeu; & c'est l'âme qui par son pouvoir interne produit ce mouvement rapide des jambes. Nul enchaînement méchaniques

cha-

chanique entre ces differentes choses; nulle dépendance matérielle, nulle nécessité par conséquent; donc notre âme est immatérielle; donc nos actions volontaires ne dépendent point du cerveau.

ARGUMENTUM VI.

Ex linguarum & aliorum quibus exprimuntur cogitationes signorum inventione.

Experientia constat posse homines quibusdam vocibus, aliisve signis ex se arbitrariis quasdam cogitationes adjungere: atqui solus materiæ motus id efficere non potest: proferatur enim vox aliqua coram plurimis diversarum regionum hominibus, eadem erit apud omnes soni articulati impressio; cum autem a libera hominum voluntate pendeat illius significatio, eam tantum intelligunt qui linguam ad quam ea vox pertinet, vel magistrorum documentis, vel naturali parentum imitatione didicerint, aut saltem quibus explicata fuerit hujus vocabuli significatio: uno verbo, idem sonus omnium aures feriet, non omnium rationem illustrabit: confitendum est igitur mentem humanam in statuenda vocum significatione id efficere, quod præstare nequit solus materiæ motus; ergo mens humana est ab omni materia necessario distincta.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Anima vices omnes corporis experitur. Cum eo crescit, adolescit, senescit, roboratur, infirmatur; a statu corporis pendent ingenium, memoria & rationis usus: atqui hæc omnia demonstrant animam & corpus rem unam eamdemque esse; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Ex iis quæ objiciuntur hoc unum inferri potest, nempe Deum inter animam & corpus humanum arctissimam instituisse con-

junctionem, licet diversæ sint naturæ. Ex mutua illa necessitudine fit ut, prout corpus bene, vel male se habet, anima functiones suas liberius vel difficilius exerceat; & qua proportione perficiuntur & vigent, vel deteruntur corporis organa, animus majora vel minora rationis indicia exhibeat. Hinc videtur in pueris quasi puerascere, in adolescentibus adolescere, in senibus consenescere, quamvis ratione sui nec incrementum, nec decrementum admittat. Ex objectis vero minime sequitur ejusdem esse naturæ corpus & animam. Quod quidem apertum fiet ex similitudine, quam adhibet auctor anonymus adversus Materialistam notissimum.

Assujettissez le plus industrieux agent à une certaine machine, en sorte qu'il ne puisse se remuer sans elle. Dès que la machine se détaque, l'agent cessant de pouvoir opérer avec justesse, ne donne plus les mêmes preuves d'industrie. Si le jeu de la machine s'arrête, l'agent s'arrête aussi. On diroit qu'il ait perdu toute son activité. Que l'on donne au plus excellent musicien un luth qui n'est point d'accord, il n'en tirera que de faux tons; vous ne saurez ce que son talent est devenu.

De même il est aisé de concevoir, que l'âme & le corps étant dans une liaison, qui les assujettit mutuellement l'une à l'autre, ils ne peuvent agir que de concert. L'âme n'exerce ses plus nobles facultés que par l'entremise du corps, qui en devient l'instrument. La machine humaine est elle en bon état? les facultés spirituelles se développent avec avantage. Mais cette machine vient elle à se démonter? elle suspend, elle trouble l'exercice de ces facultés, qui paroissent alors s'affoiblir, quoique leur principe immatériel soit toujours le même. (Lettre à un Matérialiste.)

Instab. Substantia, cujus affectiones sunt corporeæ, ab ipso corpore non distinguitur: atqui men-

mentis humanæ affectiones sunt corporeæ. Sensationes, v. g. ab ipso nervorum artificio non discrepant; indubitatis enim constat experimentis, nullum in mente sensum excitari, nisi commotio in extremis corporis partibus facta, ad cerebrum usque ope nervorum perducta fuerit. Hinc posito nervorum artificio, nascuntur sensationes; sublato, tolluntur; restituto, restituuntur; in melius aut in deterius mutato, ipsæ pariter in melius vel in deterius mutantur; a mechanica igitur nervorum dispositione sensationes non distinguuntur, ac proinde sunt corporeæ.

Resp. Neg. min. ejusque probationem. Non diffitemur quidem mentem & corpus a se invicem plurimum pendere, ut supra diximus, sed inde inferri non potest sensationes nostras ab ipsa nervorum dispositione mechanica non esse distinctas. Vel enim sensus, v. g. doloris impressio, quam ad manum aut pedem referimus, in communi nervorum origine, sive in cerebro, resideret, vel in extremis nervorum partibus; non datur enim medium, ut facile intelliget quisquis vel leviter attenderit; atqui neutrum dici potest: Non primum: impressio enim doloris ibi non existit, ubi non sentitur; alioqui definienda esset *modificatio cerebri, quæ non percipitur in cerebro*; sed *in manu vel in pede*; novum plane & inauditum definitionis genus: atqui impressio doloris non sentitur in cerebro, ut experientia constat; ergo 1. sensatio doloris non existit in cerebro.

Secundum etiam dici non potest, nimirum sensationem in extremis nervorum partibus residere; tum quia fieri potest ut extremæ nervorum partes a corporibus circumjectis commoveantur, nec tamen ulla sensatione afficiamur, quod in paraliticis contingere docet communis experientia; tum quia interdum accidit ut sensationem experiamur, quamvis non existant illæ corporis partes, ad quas eam naturali quodam judicio referimus; v. g. homo cui amputatum fuit brachium,

quan-

quandoque sensum doloris refert ad sectum illud brachium, imo etiam ad brachium ligneum quod prioris loco substitutum fuit. Utrumque illud phœnomenum aliquando contingere gravissimi testantur Auctores, nec ipsi negant adversarii: qua de re consulatur opus cui titulus: *Lettre à un Matérialiste*, (*Epist.* 8.) & liber clarissimi Bossuet, sic inscriptus: *De la connoissance de Dieu & de soi même* (*pag.* 173.) ergo 2. sensationes non existunt in extremis nervorum partibus, aliunde neque in eorum communi origine, sive in cerebro; superest igitur ut suam habeant sedem in substantia quadam simplici & a corpore distincta, quamvis ab eo suis in functionibus pendeat, juxta legem a Creatore libere institutam.

Objic. 2. Attributa quæ diversa sunt tantummodo, possunt ad eamdem substantiam pertinere: atqui cogitatio & extensio sunt attributa tantummodo diversa; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Hæc enim duo non tantum diversa, sed opposita sunt, quorum unum exigit subjectum compositum, alterum vero subjectum simplex: atqui extensio postulat subjectum compositum, & variis distinctisque partibus conflatum, ut satis patet; cogitatio autem requirit subjectum simplex, quia ipsa est simplicissima; quis enim concipiat mediam, vel tertiam, vel quartam partem dubitationis, affirmationis, negationis? ergo, &c.

Inst. Motus & quies, licet opponantur, possunt in eodem subjecto, saltem *successive*, recipi; ergo pariter cogitatio & extensio, licet oppositæ, possunt in eodem subjecto existere.

Resp. Neg. conseq. & parit. Ratio discriminis est, quod motus & quies subjectum ejusdem naturæ, nempe extensum, supponant. Tunc enim corpus dicitur quiescere, cum eidem loco respondet; tunc vero movetur, cum ab uno loco in alium transfertur. Quæ duo admitti non possunt nisi in subjecto extenso, cujus partes modo eidem lo-

loco, modo diversis locis respondeant: sed cogitatio & extensio nonnisi in diversæ naturæ subjectis existere queunt. Cogitatio enim, utpote simplex & individua, exigit subjectum simplex; extensio autem postulat subjectum ex variis distinctissimis partibus compositum.

Objic. 3. Illud est corporeum, quod replet spatium: atqui mens humana replet spatium aliquod; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Mens enim humana non potest replere spatium aliquod, quin variis spatii partibus respondeat: atqui repugnat, siquidem nullas habet partes, & simplex omnino est. Substantia enim, cujus modi & affectiones sunt prorsus simplices, ipsa est simplex (modi quippe ejusdem sunt naturæ, ac substantia in qua recipiuntur): atqui mentis humanæ modi & affectiones sunt omnino simplices. Homines enim, quamvis sensibus dediti, & imaginatione plurimis in rebus delusi, non possunt tamen mediam, vel tertiam, vel quartam cogitationis partem sibi fingere; ergo mens humana est simplex, & partium expers; ergo potest variis spatii partibus respondere, nec proinde spatium aliquod replere.

Inst. Illud replet spatium, quod existit in corpore, tanquam in loco: atqui mens humana, &c. ergo, &c.

Resp. Neg. min. Mens enim non potest existere in corpore tanquam in loco, quin vel cuidam illius parti respondeat: atqui utrumque absurdum est propter rationem modo expositam.

Inst. Quod nullum occupat spatium sive locum, merum est nihilum; ergo mens humana aliquem in corpore locum occupat.

Resp. Neg. ant. Difficultatem hanc sic explodit D. Le François: *La pensée ne remplit aucun espace; car si elle en occupoit un, elle répondroit aux diverses parties de l'espace dont elle seroit environnée, & par conséquent elle auroit elle-même des parties: or quelqu'effort que vous fas-*

siez,

siez, il vous est impossible de vous représenter la pensée avec des parties. Concluerez vous qu'elle n'est rien de réel, qu'elle n'existe en aucune sorte, parce qu'elle n'occupe aucun espace? vous en devez conclure, au contraire, que la pensée n'a rien de commun avec les corps qu'elle est d'un ordre supérieur; qu'elle n'est pas moins réelle, quoiqu'elle n'existe pas à leur maniere. Pourquoi l'esprit ne seroit il donc pas un être réel, quoiqu'il soit incapable de remplir un espace à la maniere des corps? cette incapacité d'occuper une place, n'est donc pas une difficulté contre l'ésprit, puisqu'elle n'en est pas une contre la pensée.

Objic. 4. Temere affirmatur materiam non posse cogitare, nisi omnes, quarum capax est, proprietates & affectiones cognoscamus; atqui eas omnes nullus hominum novit; ergo temere affirmatur materiam non posse cogitare.

Resp. Neg. maj. Quemadmodum enim merito dicimus circulum non posse quadratum esse, licet omnes tum circuli, tum quadrati proprietates non habeamus perspectas; ita recte affirmatur materiam non posse cogitare, quamvis omnes illius modos & affectiones non cognoscamus. Ad illud enim satis est ut certam percipiamus repugnantiam inter cogitationem & cognitas materiæ proprietates: atqui repugnantiam hanc certo deprehendimus; siquidem ex una parte refert sensus intimus, cogitationem esse aliquid simplex, quod omnem excludit divisionem; idea vero materiæ ex altera parte eam exhibet ut aliquid compositum & dividuum; ergo vim cogitandi a materia sapienter excludimus, quamvis omnes illius proprietates affectionesque possibiles minime noverimus.

Inst. Forsan inter occultas materiæ proprietates locum habet vis cogitandi; ergo ut certo pronuntiemus cogitationem non posse materiæ competere, omnes illius proprietates nobis cognitæ sint necesse est.

Resp. Neg. ant. Si enim cogitandi facultas cogni-

gnitis materiæ proprietatibus evidenter repugnet, certe locum habere non potest inter incognitas materiæ proprietates: atqui facultas cogitandi aperte pugnat cum notissimis materiæ proprietatibus, qualis est extensio; ergo, &c. *Quand la matiere*, inquit D. Le François, *auroit d'autres propriétés que celles que nous lui connoissons, en seroit-il moins vrai qu'elle a celles que nous lui voyons? en seroit-il moins vrai qu'elle est étendue, divisible, qu'elle ne peut exister sans avoir une figure? par conséquent seroit il moins vrai que si elle pense, l'être pensant est étendu, divisible, qu'il a une figure? or il n'est rien de plus absurde que de donner à l'être pensant des parties, de l'étendue, de la figure; il n'est donc rien de plus absurde que de mettre la pensée au nombre des propriétés inconnues de la matiere.*

Inst. Saltem dici potest materiam coalescere ex partibus & elementis simplicibus, quæ a Leibnitzio vocantur *Monades*, in quibus recipiatur cogitatio; ergo materiæ convenire potest facultas cogitandi.

Resp. 1. Neg. ant. Quis enim concipiat ex partibus omni extensione destitutis conflari aliquid extensi? quis concipiat ex partibus ac elementis simplicibus fieri totum aliquod compositum?

Resp. 2. Neg. conseq. Nam Leibnitziana hypothesis ex adversa fronte pugnat cum Materialistarum sententia. Ii quippe docent corpus quatenus compositum, quatenus extensum, vim habere cogitandi; cur ergo controversiam eo detorquent, ut statuant cogitationem in partibus materiæ simplicibus recipi? insulsum profecto disputandi genus, quo id ipsum concedunt adversarii, de quo movetur controversia, nempe illud esse simplex quod cogitationem suscipit.

Objic. 5. In mente recipiuntur cogitationes compositæ, quales sunt ideæ corporum; ergo mens est aliquid compositi.

Resp. 1. Retorqueo argumentum: in Deo reci-

cipiuntur cogitationes compositæ, quales sunt ideæ corporum; ergo Deus compositus est, ac extensus: quod tamen nullus ex Materialistis ausus est confiteri.

Resp. 2. difficultatem hanc mentis simplicitatem confirmare, nedum infirmet. Concedamus enim adversariis menti inesse cogitationes & ideas compositas. Non diffitentur mentem integrarum hujusmodi cogitationum esse consciam: atqui si anima cogitationis compositæ, & quidem totius, sensum intimum habeat, non potest esse simplex. Alioquin hæc cogitatio per varias animæ partes distributa & diffusa, nulli integrum sui sensum imprimeret.

Resp. 3. Neg. ant. Hic enim agitur de compositione physica, quæ est partium a se invicem separabilium, & extra se positarum collectio: atqui nulla est in mente cogitatio, nulla idea hoc modo composita, quæ scilicet variis constet partibus a se invicem distinctis, & extra se existentibus: alioquin, ut corpora, ita & ideæ quadratæ, rotundæ, cubicæ essent admittendæ: quod sane ipsismet Materialistis non potest non videri absurdissimum.

Inst. Quædam mentis affectiones majus & minus suscipiunt, dolor v. g. potest fieri major vel minor; ergo in mente recipiuntur cogitationes physice compositæ, quæ scilicet varias & distinctas habeant partes.

Resp. Neg. conseq. Ex eo quod enim sensus doloris fieri possit major vel minor, id est, vehementior vel remissior, non sequitur dolorem variis constare partibus. Imo potius, si dolor partes haberet, sensus doloris major vel minor esse non posset in una eademque mente. Non posset enim crescere dolor, nisi quia major numerus partium doloris, majorem animæ superficiem tangeret: atqui inde non sequitur majorem fore doloris sensum. Nam unaquæque pars mentis non sentiret, nisi eam doloris partem, quæ

ejus

ejus extensioni responderet, neque parti vicinæ a se prorsus distinctæ sensum suum posset communicare; ergo si dolor variis constaret partibus, sensus doloris major aut minor, id est, vividior aut remissior esse non posset in una eademque mente.

Obj. 6. Vel totam mentis substantiam affectio unica replet, vel non: si prius, ergo non potest pluribus simul affici; quod tamen experientiæ adversatur: si posterius, ergo mens composita est, cum suscepta impressione aliqua, ceteris adhuc locus supersit, quem occupare valeant.

Respondeo totam mentem unica non repleri cogitatione, nec ideo tamen eam esse physice compositam. Nimirum tota hæc difficultas sita est in vana inanique metaphora, qua mens exhibetur instar vasis cujusdam, in quo recipiuntur affectiones diversæ, & suam quæque sedem distinctam occupat. Hanc vero similitudinem quis non rideat? ita quippe mens una impressione afficitur, ut alias possit simul experiri. Id enim testatur experientia. Quomodo autem & multis & diversis impressionibus pateat, nec animo concipi, nec verbis explicari potest: rem vero prorsus impossibilem fore, si mens physice composita & extensa esset, demonstratur. Tunc enim anima plurium simul impressionum conscia esse non posset; siquidem, ut jam diximus, unam partem aliquam animæ, & altera alteram afficeret; ergo præfata difficultas Materialistis prorsus adversatur: nobis vero id unum probat, nimirum quam angustis nostra ratio finibus circumscripta sit.

Objic. 7. Nihil amplius affirmandum est, quam quod testatur sensus intimus: atqui sensus intimus hæc duo solum nobis testatur, 1. non esse corpus; 2. nos cogitare; ergo nihil amplius affirmandum est. Ita Poeta in scribendis versibus quam in ratiociniis instituendis felicior; *Je suis corps, & je pense; je n'en sais pas davantage.*

Resp. Neg. min. Supponit enim Poeta sensum in-

intimum testari me cogitantem nihil aliud esse quam corpus; sed id ipsum est, de quo movetur controversia. Illud autem effatum poeticum, potius quam philosophicum, *Ego sum corpus*, & *cogito, nihil amplius novi*, nedum sensus intimi auctoritate fundetur, merum est præjudicium, ab infantia susceptum, & consuetudine firmatum. Infantibus enim nihil magis familiare est, quam sibi fingere sensationes diversas in variis corporis partibus residere. Sed errorem illum facile emendabit, quisquis ad seipsum attenderit: statim enim deprehendet in variis corporis partibus, a se invicem distinctis, non reperiri illam unitatem, quam postulat natura principii sentientis & cogitantis; & præsertim facultas ipsi propria, sensus & cogitationes suas inter se comparandi. Hæc igitur verba, *Ego sum corpus*, &c. non potuerunt Auctori excidere, nisi quando æstu poetico caput fervidum incalescebat.

Objic. 8. Corpus agit in animam, & vicissim anima in corpus: ergo corpus non potest agere nisi in alterum corpus; ergo anima quoddam est corpus.

Resp. Dist. maj. Corpus agit in animam instar occasionis, conc. physice & per contactum, neg. Corpus non potest quidem physice & per contactum agere nisi in aliud corpus; sed potest in animam agere instar causæ *occasionalis*; quatenus scilicet Deus, occasione quorumdam motuum corporis, varias in anima excitat affectiones: pariter anima, licet omnino simplex, potest agere in corpus, eo nempe sensu quod occasione cogitationum & affectionum mentis, quidam in corpore, Deo sic volente, motus excitentur. Qua in re nihil est quod divinam superet potentiam.

Objic. 9. Deus potest materiæ vim cogitandi addere: quis enim ausit ipsius potentiæ limites constituere? ergo &c.

Resp. Neg. ant. Potentia enim divina ad ea tan-

tantum pertinet, quæ possibilia sunt; siquidem impossibile, utpote merum nihilum, divinæ Omnipotentiæ objectum esse nequit; atqui impossibile est ut materiæ conferatur vis cogitandi. Repugnat quippe eam substantiam esse extensam simul & simplicem, dividuam & individuam; atqui tamen res ita se haberet, si materiæ impertiretur facultas cogitandi. Cogitatio enim quælibet ex natura sua est simplex & individua, ac proinde postulat subjectum simplex.

Mirum profecto est, nonnullos hujus difficultatis patronos, in præsenti argumento adeo reformidare, ne qua divinæ omnipotentiæ fiat injuria, cui derogare aliis in quæstionibus non verentur. Quando enim agitur de miraculis, cur ex ipsis plurimi non metuunt ne divinam lædant omnipotentiam, dum ea possibilia esse negant, quia Deus naturæ leges mutare non potest.

Objic. 10. In linguis omnibus voces quibus designatur principium cogitans, ex objectis corporeis desumptæ sunt. Vocabulum enim *spiritus*, & cætera quæ huic voci respondent nomina, nihil significant nisi flatum, halitum, respirationem; omnes igitur populi principium cogitans non habuerunt ut substantiam ab omni materia distinctam.

Resp. Neg. conseq. Substantia enim cogitans, spiritalis, omnium sensuum organis prorsus inaccessa, non potest, nisi per metaphoram, designari. Nullum est vocabulum quo depingi queat; necesse ergo fuit, ut aliquo sensibili effectu exprimeretur: effectus vero qui menti in corpore præsentiam testari solet, est flatus, sive halitus & respiratio.

Præterea *Materialismi* defensor acerrimus, nempe auctor execrandi operis, cui titulus *Systême de la nature*, confitetur quibuslibet temporibus & locis homines, cum materiam concipere non possent, tanquam effectuum & phænomenorum quæ mirabantur principium, ad *spiritus* confugisse, ut ea explicarent; (*tom.* 2. *cap.* 1. *pag.* 11.)

11.) ergo quovis tempore & loco homines *spiritus* nomine substantiam intellexerunt ab omni materia secretam.

CAPUT VII.

De Mentis humanæ facultatibus.

Facultatis nomine intelligitur principium functionum quas exercet mens humana. Duæ sunt præcipuæ, nempe *intellectus* & *voluntas*. Duobus quippe tantùm modis mens circa objectum versari dicitur, percipiendo nimirum & volendo. Quatenus est *percipiens*, vocatur *intellectus*; quatenus est *volens*, appellatur *voluntas*. Duæ igitur illæ facultates sunt una & eadem mens simplex, sub diverso respectu considerata. Voluntas est actuum humanorum principium; illius proinde tractatio pertinet ad Philosophiam moralem. Tota igitur disputatio erit de intellectu humano. Cum intellectus verum cognoscere non possit, nisi idearum ope, inde nascitur occasio expendendi, quænam sit idearum natura, quæ causa efficiens, quæ origo.

ARTICULUS PRIMUS.

De idearum natura.

De idearum natura, sæculo proxime elapso, gravis exarsit controversia duos inter Galliæ nostræ Philosophos præstantissimos, Nicolaum Malebranchium Oratorii D. J. Presbyterum, cujus notissima est in rebus philosophicis perspicacitas, & *Antonium Arnaldum* Doctorem Sorbonicum, quem D. Boileau vocat, *le plus savant mortel qui jamais ait écrit*. Utriusque opinionem ita describimus, ut quis victor, quis victus fuerit, pronuntiare non audeamus,

SEN-

SENTENTIA MALEBRANCHII.

1. Malebranchius nomine *ideæ* intelligit immediatum & proximum mentis objectum. Scilicet, inquit, dum mens aliquid percipit, multum est discriminis inter mentis perceptionem & ideam; *perceptio* est sensus ille intimus, sive illa animæ affectio, qua conscii sumus aliquid a nobis percipi & cognosci, circulum, v. g. aut quadratum; *idea* vero est objectum perceptum, seu forma & species intelligibilis quæ nobis aliquid exhibet. Per ideam circuli, v. g. intelligit formam illam circuli, quam mens nostra intuetur ubi ratiocinamur de circulo. Unde idea illa quæ dicitur *objectiva*, medium quasi locum tenet inter perceptionem & objectum externum a mente perceptum. Jam vero, juxta Malebranchium, præter mentis perceptionem, necessaria est idea *objectiva*. Cum enim objectum externum non possit esse menti immediate præsens, ipsius præsentia per ideam *objectivam* suppletur.

Ideas autem a perceptione esse prorsus distinctas sic probat: perceptio est mentis affectio: atqui ideæ non sunt mentis affectiones. Quod enim æternum est ac immutabile, non potest esse mentis nostræ affectio: atqui ideæ sunt æternæ & immutabiles. Sit in exemplum ista veritas: *Circulus suos omnes radios æquales habet*: atqui 1. hæc veritas idea circuli nititur: ideo quippe affirmamus omnes circuli radios esse æquales, quia clare percipimus illud contineri in idea circuli; 2. hæc veritas æterna est & immutabilis: nisi enim esset hujusmodi, vel aliquando non exstitisset, vel fieri posset ut existere desineret: atqui neutrum dici potest. 1. quidem dici nequit eam aliquando non exstitisse; si enim Deus ab æterno noverit hanc radiorum circuli æqualitatem, nullum est tempus quo non exstiterit præfata veritas: atqui Deus ab æterno, &c. ergo &c. 2. Fieri

non

non potest ut unquam desinat existere; si enim illud posset contingere, maxime quia circulus extra ideas positus cessaret existere: atqui licet in nihilum redigeretur omnis circulus extra ideas constitutus, non ideo rueret hæc veritas, *Circulum suos omnes radios habet æquales*, quemadmodum, sublato quolibet triangulo, non tolleretur ista: *Triangulum constat tribus angulis, tribusque lateribus*; ergo veritas illa, *Circulus suos omnes radios habet æquales*, semper exstitura est; aliunde nullum fuit tempus quo non extiterit, ergo æterna est ac immutabilis; ergo & idea circuli in qua fundatur: ergo & aliæ ideæ; ergo idea a perceptione prorsus distinguitur.

Præterea ex omnium Philosophorum consensu, propositiones, quæ in materia necessaria versantur, sunt ab æterno & immutabiliter veræ: atqui non possunt esse tales, quin eadem æternitas & immutabilitas ideis adscribantur. Propositiones enim nequeunt esse ab æterno & immutabiliter veræ, quin pariter æternum sit ac immutabile in quo fundantur: atqui propositiones in materia necessaria constitutæ ideis innituntur. Ista, ex g. *Circulus est rotundus*, ideo in materia necessaria versatur, quia rotunditas percipitur in idea circuli contineri: ergo propositiones, quæ sitæ sunt in materia necessaria, non possunt esse ab æterno & immutabiliter veræ, quin eadem æternitas & immutabilitas ideis nostris etiam competat; ergo, &c.

2. Contendit Malebranchius Deum solum esse ideam illam *objectivam*, seu formam intelligibilem, in qua cognoscimus quidquid novimus. Nam Deus, inquit, in sua substantia continet formas exemplares, sive ideas rerum omnium archetypas: siquidem omnia tum existentia, tum possibilia cognoscit. Namque in seipso objectorum formas & species continet, nec eas aliunde mutuatur & emendicat, cum sibi suum sit lumen; novit ergo Deus sua in substantia rerum omnium

es-

essentias. Jam vero rerum formæ exemplares & archetypæ, non solum a Deo, sed etiam a mente nostra percipi possunt. Deus enim potest eas menti nostræ manifestare, cum animæ nostræ sit intime præsens, utpote *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*.

3. His generatim constitutis, Malebranchius triplicem potissimum distinguit cognoscendi modum. Prius ille est, quo res intelligitur in seipsa & per seipsam, non vero per speciem, sive ideam a se distinctam. Qua ratione solus Deus cognoscitur, quia solus in se & per se est intelligibilis, sicut sol proprio lumine videtur, cetera autem lumine a sole mutuato. Præterea nullum est *medium* a Deo distinctum, per quod percipi queat. Extra Deum enim nihil est nisi finitum & limitatum; Deus vero infinitas in se perfectiones complectitur, sed quidquid finitum est, infinitas Dei perfectiones exhibere non potest. *Medium* quippe referre nequit perfectiones, quas nullo modo continet; ergo &c. Unde sequitur Deum animis nostris immediate & per se præsentem esse, juxta illud S. Augustini: *Deus humanis mentibus, nulla interposita creatura, præsidet*. (*Lib. de vera Relig. cap.* 55.)

Secundus cognoscendi modus fit per ideam, id est, per ideæ archetypæ contemplationem. Quæ idea nihil aliud est, quam divina substantia, quatenus menti nostræ exhibetur. Eo modo cognoscitur quidquid per se & immediate intellectum afficere non potest; qualia sunt corpora. Cum enim nullam habeant cum mente nostra affinitatem, nec in eam, utpote spiritalem, agere possint, nec ipsi præsentia fieri, in seipsis non percipiuntur aut videntur. Idcirco instar dogmatis est apud Malebranchium, corpora physice & materialiter a nobis non videri: sed objectum mentis nostræ immediatum esse ideam corporum in Deo solo existentem, quem vocat *extensionem intelligibilem*; quæ extensionis creatæ est forma

e-

exemplaris & archetypa. Hinc videre corpora, juxta Malebranchium, nihil aliud est, quam afici extensione intelligibili, quæ coloribus sit determinata & singularis: v. g. sol quem videmus, ab eo prorsus discrepat, in quem oculorum aciem dirigamus. Est enim pars extensionis intelligibilis, ad quam referimus sensationem coloris, quam soli materiali, & extra nos posito tribuimus. Sed ipsum audiamus Malebranchium.

Je crois que tout le monde tombe d'accord que nous n'appercevons pas les objets qui sont hors de nous, par eux-mêmes. Nous voyons le soleil, les étoiles & une infinité d'objets hors de nous, & il n'est pas vraisemblable que l'âme sorte du corps & qu'elle aille, pour ainsi dire, se promener dans les cieux, pour y contempler tous ces objets. Elle ne les voit donc point par eux-même, & l'objet immédiat de notre esprit, lorsqu'il voit le soleil, par exemple, ce n'est pas le soleil, mais quelque chose qui est immediatement unie à notre âme, c'est ce que j'appelle idée. (Rech. de la vérité, Liv. 3. 2. Part. Ch. 1.)

On ne voit pas les corps directement & immediatement en eux-mêmes; il est donc certain qu'on ne voit les corps que dans l'étendue intelligible & générale, rendue sensible & particuliere par la couleur... Quand je dis l'étendue, *j'entens* l'intelligible; *j'entends l'idée ou l'archétype de la matiere; car il est clair que l'étendue matériale ne peut agir efficacement & directement dans notre esprit. Il n'y a que les idées intelligibles qui puissent affecter les intelligences. (Réponse à M. Regis, ch. 2. n. 5.)*

In Deo etiam videmus, juxta Malebranchium, omnes veritates generales & abstractas, quæ intellectu puro, id est, absque ulla qualitate sensibili percipiuntur. Præfatas, inquit, veritates in Deo videmus, si in Dei substantia contineantur, & Deus suam nobis substantiam manifestet: atqui

qui hæc duo certa sunt; & quidem 1. Deus enim in sua substantia complectitur veritates æternas & immutabiles: atqui veritates generales & abstractæ, sunt æternæ & immutabiles, ut constat ex dictis; ergo 1. &c. 2. Deus suam nobis substantiam manifestat. Certum quippe est a nobis percipi veritates generales & abstractas, quales sunt istæ; *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis:... Impossibile est idem esse simul & non esse:* atqui illas veritates non percipimus, nisi quia Deus suam nobis revelat substantiam, in qua continentur. Vel enim veritates illas cognoscimus, quia Deus suam nobis exhibet substantiam, quæ eas complectitur; vel illas percipimus in mente nostra, aut in aliis creaturis: atqui posterius dici non potest. Namque veritates non deprehendimus, ubi nullo modo resident: atqui veritates generales & abstractæ, utpote æternæ & immutabiles, neque in mente nostra, neque in aliis creaturis *contingentibus* reperiuntur; superest igitur ut eas videamus; quia suam Deus nobis substantiam manifestat, in qua continentur; ergo, &c.

Tertius cognoscendi modus est per sensum intimum. Ita mens humana seipsam, suasque affectiones cognoscit. Quamvis enim Deus sua in substantia nostræ animæ ideam contineat, eam tamen, juxta Malebranchium, in præsenti vita nobis non manifestat. Hanc quippe ideam si nobis Deus concessisset, 1. nullus animam cum materia confunderet; sic quia nobis affulget idea circuli, nemo est qui ipsum cum quadrato confundat. 3. Solo animæ intuitu cognosceremus, quarum facultatum sit capax, sicut in extensionis conceptu deprehendimus ipsam fieri posse quadratam, rotundam, triangularem, &c. atqui tamen animæ facultates nonnisi experientia nobis innotescunt. Nunquam nobis certo constitisset animam doloris, voluptatis, famis, sitis, &c. sensibus affici posse, nisi eos fuissemus experti; er-

go, inquit Malebranchius, Deus mentis nostræ ideam nobis minime concessit.

En systematis Malebranchiani brevis expositio. Licet gravissimis difficultatibus obnoxium sit, in eo tamen non minus elucet animi pietas, quam ingenii sublimitas. Deûm scilicet nobis exhibet, ut spirituum lumen universale, a quo, tanquam ab inexhausto fonte, profluit quidquid lucis in creatas intelligentias diffunditur. Unde sic ipse habet: *Une autre raison qui peut faire penser que nous voyons tous les êtres, à cause que Dieu veut que ce qui est en lui qui les représente, nous soit découvert .... c'est que cela met les esprits dans une entiere dependance de Dieu, & la plus grande qui puisse être. Car cela étant ainsi, non seulement nous ne saurions rien voir que Dieu ne veuille bien que nous le voyons, mais nous ne saurions rien voir que Dieu ne nous le fasse voir. C'est Dieu qui éclaire les Philosophes dans les connoissances que les hommes ingrats appellent* naturelles, *quoiqu'elles ne leur viennent que du Ciel. C'est lui qui est proprement la lumiere de l'esprit, & le Pere des lumieres. C'est lui qui enseigne la science aux hommes. En un mot, c'est la véritable lumiere, qui éclaire tous ceux qui viennent en ce monde.* (*Rech. de la vérité, Liv.* 3. 1. *Part. cap.* 6.)

SENTENTIA ARNALDI.

Præfatam Malebranchii opinionem totis viribus impugnat doctissimus Arnaldus in Libro, cui titulus, *des vraies & des fausses Idées*. I. Statuit ideam & perceptionem esse rem unam & eamdem. Res autem ea, licet simplicissima, duplicem habet respectum, alterum scilicet ad mentem quam afficit, alterum ad rem perceptam quam exhibet. Priorem respectum directe magis significat perceptio; posteriorem vero *idea*. Sic enim mentem suam explicat: *J'ai dit que je prenois*

nois pour la même chose la perception & l'idée. Il faut neanmoins remarquer que cette chose, quoiqu' unique, a deux rapports, l'un à l'âme qu'elle modifie, l'autre à la chose apperçue, en tant qu'elle est objectivement *dans l'âme, & que le mot de* perception *marque plus directement le premier rapport, & celui d'* idée *le dernier. Ainsi la perception d'un quarré marque plus directement mon âme, comme appercevant un quarré; & l'idée d'un quarré marque plus directement le quarré, en tant qu'il est* objectivement *dans mon esprit. Cette remarque est bien importante pour résoudre beaucoup de difficultés, qui ne sont fondées que sur ce qu'on ne comprend pas assez que ce ne sont pas deux entités différentes, mais une même modification de notre âme, qui renferme essentiellement ces deux rapports, quoique je ne puis avoir de perceptions qui ne soient tout ensemble, la perception de mon esprit comme appercevant, & la perception de quelque chose comme apperçue; & que rien aussi ne peut être* objectivement *dans mon esprit, (qui est ce que j'appelle idée) que mon esprit ne l'apperçoive. (Cap.* 6. *Definit.* 6.)

2. Ex eo quod perceptio & idea sint unum & idem, eadem nempe animæ modificatio, juxta mentem Arnaldi, sequitur perceptiones ex natura sua esse *repræsentatrices*; non tamen eo sensu quod instar tabellæ & picturæ sint objectorum imagines; sed quod existere nequeat perceptio, quin percipiatur & cognoscatur aliquid. Unde concludit inutile prorsus esse recurrere ad imagines, sive species quasdam, a mente distinctas, ut objecta innotescant. Illarum originem tribuit præjudicatis opinionibus ab infantia haustis, & consuetudine firmatis. Cum scilicet homines sensuum impressionibus ab incunabulis assueti, deprehenderent ad visionem corpoream requiri, vel objecti præsentiam; vel ejus imaginem in speculis tabellisve exaratam; eodem modo a mente ob-

objecta cognosci existimarunt, quo videri solent ab oculis corporeis. Hinc necessariam esse judicarunt, aut intimam objecti præsentiam, aut, ea deficiente, imaginem aliquam a mente distinctam, in qua rerum naturas inspicere possemus. Inde manarunt, inquit Arnaldus, *entitates* illæ *repræsentatrices*, a perceptionibus distinctæ.

3. Cum percipimus aliquod objectum, Deus nobis suas ideas non manifestat, ut ait Malebranchius, sed alias in nobis producit, suis quoad repræsentationem similes, quarum ope objecta fiunt menti præsentia.

4. Quando corpora percipimus, corpora ipsa, sive existentia, sive mere possibilia, objectum sunt nostræ perceptionis immediatum. Unde concludit corpora in Deo non videri, sed in seipsis, neque existere in Deo extensionem, quam Malebranchius vocat *intelligibilem: Mon âme*, inquit Arnaldus, *est capable de voir, & voit en effet ce que Dieu a voulu qu'elle vît; or Dieu l'ayant jointe à un corps, a voulu qu'elle vît, non un corps* intelligible, *mais celui qu'elle anime; non d'autres corps* intelligibles, *mais les corps matériels, qui sont autour de celui qui lui est joint; non un soleil* intelligible, *mais le soleil matériel qu'il a crée, & qu'il a mis dans le mond*. (*Ibid. cap.* 11.)

5. Denique contendit Arnaldus nobis inesse mentis nostræ ideam, qua ipsius naturam clare cognoscimus. Id probat ex eo quod plurimas animæ proprietates habeamus perspectas. Novimus v. gr. eam esse spiritalem, simplicem, a materia prorsus diversam; novimus eam intellectu & voluntate esse præditam; novimus eam pollere facultatibus percipiendi, imaginandi, judicandi, ratiocinandi, &c.

In eo potissimum stat Arnaldi systema, quod velit objectum a mente conceptum, sive ideam, non esse a perceptione distinctum, cujus proprium est aliquid repræsentare; quia scilicet non

pot-

potest existere perceptio, quin percipiatur aliquid. Quemadmodum igitur, inquit, quærenti cur circulus sit rotundus, id unum responderi potest & debet, quia ea est natura circuli, ut sit rotundus; sic interroganti cur & quo pacto perceptio ipsum sit objectum a mente immediate perceptum, non aliud responsi dari debet, nisi quia illud pertinet ad naturam perceptionis.

Id vero non approbat Auctor sagacissimus operis, cui titulus, *Essai de Métaphysique*, cujus hæc sunt verba: *Mais comment confondre la perception de l' esprit avec les objets que l' esprit apperçoit? la perception est une modification de l' esprit; c' est l' acte d' un être intelligent, & les objets apperçus n' appartiennent pas à l' esprit; ce ne sont point des modifications de son être; les propriétés de la perception, & celles des objets apperçus, sont trop différentes pour ne pas les distinguer....*

Il est évident, sans doute, qu' il n' est pas possible d' appercevoir, sans appercevoir un objet: mais quelqu' essentiel qu' il soit à la perception de faire appercevoir un objet, il n' en est pas moins vrai que la perception & l' objet apperçu ne sont pas la même chose. Les objets ne sont apperçus par l' esprit, que parce qu' ils sont intelligibles. Leur intelligibilité (c' est-à-dire, leur essence) & l' action de l' esprit appercevant, ne sont pas précisément la même chose. L' intelligibilité des êtres est indépendante de chaque esprit qui les apperçoit; & quand il n' y auroit aucun esprit créé qui les apperçut, ils n' en seroient pas moins intelligibles. La perception suppose donc l' intelligibilité des objets, & intelligibilité ne suppose point d' esprit créé qui les apperçoive.

Si on demandoit ce qui fait que la perception est un acte appercevant, il n' auroit point, sans doute, d' autre réponse à faire, si non que c' est sa nature & son essence. Mais si on demande

qu'est ce que l'esprit apperçoit; quel est l'objet immédiat de la perception, ce n'est pas répondre que de dire, qu'il est de la nature de la perception d'appercevoir, parce qu'il ne s'agit plus de la perception, mais de l'objet apperçu....

M. Arnaud avoue que ce que l'esprit voit, a une existence qui le rend présent à l'esprit, & il appelle cette existence & cette présence, une existence objective, une présence objective. *Mais qu'est ce qu'une existence & une présence objective? est-ce ce qui fait que les objets peuvent être apperçus, par l'esprit? quelle est donc cette chose qui fait que les objets peuvent être apperçus, & qui les distingue du neant qui ne peut pas l'être? est-ce l'intelligibilité des objets qui les rend propres à être apperçus? mais qu'est ce que cette intelligibilité? ici la précision est necessaire. Cette intelligibilité est-elle distinguée de l'esprit appercevant? en ce cas il faut placer hors de l'âme l'objet immédiat de la perception, & par conséquent l'idée; car on donne le nom d'idée à cet objet immédiat: & c'est donner gain de cause au P. Malebranche. Dire que cette intelligibilité n'est rien, ce seroit rendre le néant intelligible... ce seroit réduire l'existence & la présence objective à une existence & à une présence chimérique....*

SCHOLION.

Istam de natura idearum controversiam definire arduum est. Utraque opinio magni se nominis umbra tuetur; utramque graves in difficultates incurrit. Suam Malebranchius, suam Arnaldus totis humani ingenii viribus defendit. Diu colluctati sunt nobiles illi pugilles. Hinc & inde plura edita sunt volumina; responsum est utrinque iterum atque iterum, & adhuc sub judice lis est. Quis enim ingeniosa hæc Fontenellii verba ignoret, *Le monde entier est spectateur, mais où prendre des juges?*

AR-

ARTICULUS II.

De causa efficiente idearum

Quæstionem hanc solvet sequens

PROPOSITIO I.

Deus solus est idearum nostrarum causa efficiens.

Prob. Vel Deus solus est idearum nostrarum causa efficiens, vel corpora, vel mens nostra: atqui duo posteriora dici nequeunt. Non quidem 1., tum quia corpora ex se inertia sunt & otiosa; tum quia ideæ nostræ sunt spiritales, a materia plane diversæ, naturæque multo perfectioris & excellentioris: atqui magis perfectum prodire non potest a minus perfecto, tanquam a causa efficiente; siquidem hujusmodi causa suum effectum continere debet; ergo 1. corpora non possunt esse idearum nostrarum causæ efficientes; 2. nec mens nostra; vel enim mens objecta cognoscit, vel non: si prius jam objectorum idea non est amplius fingenda; ideo quippe fingitur, ut rerum habeatur notitia; si posterius, id est, si mens objecta nondum noverit, eorum ideam non magis potest efficere, quam pictor illius hominis imaginem coloribus exprimere speciem & formam ignorat. Quemadmodum enim voluntas non potest rem ignotam amore prosequi; ita nequit intellectus sibi illius objecti ideam formare, cujus nullam habet cognitionem; ergo ideæ nostræ neque a corporibus, neque a mente nostra efficiuntur; superest igitur, ut a solo Deo, tanquam a causa efficiente, oriantur, *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* (*Joan.* 1.)

COROLLARIUM.

Ergo unus est magister Deus, *qui docet hominem sententiam*. (*Psalm.* 93. 10.) Nequicquam doctissimorum hominum documentis aures nostræ personarent, vanus esset ac sterilis verborum strepitus, nisi Deus mentem interius illustraret, & veritatis notitia imbueret. *Nolite putare*, inquit Augustinus, *hominem aliquid discere ab homine: admonere possumus per strepitum vocis nostræ; si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster*. (*In Joan.*)

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Dantur ideæ factitiæ; ergo mens aliquas saltem ideas efficit.

Resp. Neg. conseq. Idea enim *factitia* dicitur ea, quæ effingitur ex aliis ideis in mente jam existentibus; talis est idea montis marmorei, quæ componitur ex idea montis, & idea marmoris. Porro hujusmodi ideas Deus producit occasione vel nostræ voluntatis, vel commotionis in cerebro factæ; in eas vero mens non influit, tanquam causa efficiens.

Objic. 2. Illud a mente nostra producitur, quod fit ad voluntatis nutum & arbitrium: atqui multæ ideæ ad voluntatis nostræ arbitrium præsto sunt. Si enim velim de circulo, triangulo, quadrato, &c. cogitare, statim ideæ circuli, trianguli, quadrati menti se sistunt; ergo mens ipsa suas efficit ideas.

Resp. Neg. maj. Ex eo quod multas perceptiones ad voluntatis nostræ arbitrium nobis præsto esse experiamur, colligi tantum potest mentem nostram illarum esse occasionem: nonne ad ducis nutum milites in hanc aut illam partem illico feruntur, licet horum motuum dux ipse non sit causa efficiens, sed tantum occasio? sic Deus

ad voluntatis nostræ desiderium, varias in mente excitat ideas, quarum ipsa non est causa efficiens.

Objic. 3. Merito culpatur homo, quod res quasdam non cognoscat: atqui immerito prorsus culparetur, si ideas ipse suas non produceret; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Quia, licet homo suarum idearum non sit causa efficiens, plurimarum tamen est causa, ut ajunt, *occasionalis*, juxta leges conjunctionis animæ & corporis a Deo institutas. Hinc Deus multis perceptionibus mentem ipsius illustraret, si ad ea quæ tenetur cognoscere diligenter attenderet, si præjudicia deponeret, si cupiditates reprimeret, &c. Cum autem ista & alia facere possit, quibus positis, hoc & illud, dante Deo, cognosceret, merito arguitur, quod res quasdam ignoret; sicut architectus, quamvis non sit luminis causa efficiens, merito reprehenditur, si domum obscuram ædificet, quia potuit lumini præbere aditum patentiorem.

Objic. 4. Si Deus solus ideas nostras efficeret, merito censeretur malarum cogitationum auctor: atqui id de Deo sentire nefas est: ergo Deus saltem aliquas non producit in nobis ideas, ac proinde ipsarum mens nostra est causa efficiens.

Resp. Neg. maj. Quia nullæ ideæ in se ratione sui malæ sunt. Sic ideæ furti, adulterii, nihil mali sibi adjunctum habent. Ut enim sacri Concionatores ab hujusmodi vitiis alios deterreant, ipsorum ideam habeant necesse est: qua in re certe non peccant; malum igitur non est de furto, adulterio, &c. cogitare, sed vitium est ista, prohibente Deo, diligere, horum objecta concupiscere, illorum cogitatione delectari. Hæc autem amoris perversitas non ab ideis, nec a Deo, sed a voluntate nostra repetenda est.

ARTICULUS III.

De Idearum origine.

Cum Philosophi omnes Christiani confiteantur, mentem humanam suum sibi non esse lumen, & insuper corpora quæ nos ambiunt, in ipsam efficaciter agere non posse, inde sequitur Deum solum esse idearum nostrarum causam efficientem, ut præcedenti in articulo probatum est. Verum qua ratione Deus ideas mentibus nostris immittit? Omnesne & singulas impertitur; aut rerum quarumdam extra nos positarum interventu, aut famulantibus parentum magistrorumque documentis, aut præeunte mentis attentione, qua, velut occasione, Deus ad eam illustrandam excitetur? an potius supremus hic luminum parens, quasdam hominibus a primo creationis instanti notiones infudit, quæ proinde quamlibet sensationem, educationem aut reflexionem antecedant, ideoque *innatæ* dicantur, seu mentibus nostris congenitæ? Ista est controversia, quæ & veteres & recentiores Philosophos plurimum exagitavit. Alii, duce Cartesio, pro ideis innatis militant: alii, auctore Lockio, omnes cogitationes humanas a sensibus vel *proxime*, vel *remote* originem ducere contendunt. Inter eos autem qui Lockii partes sequuntur, non pauci, adjunctis quibusdam temperamentis, magistri sui doctrinam a pravis, quibus obnoxia est, consectariis expurgare conantur.

Præsens argumentum ad duas quæstiones revocari potest; 1. est, utrum omnes ideæ a sensibus ducant originem; 2. utrum admittendæ sint ideæ *innatæ*, seu mentibus nostris congenitæ.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Utrum omnes ideæ a sensibus oriundæ sint.

Circa quæstionem hanc, minime, ut quibusdam fortasse videtur, sterilem & otiosam, variæ olim fuerunt, atque etiamnum sunt Philosophorum placita. Horum brevis expositio præmittenda est, priusquam de singulis aliquid statuamus.

SENTENTIA EPICUREORUM.

Epicurei, qui duo tantum agnoscebant rerum principia, materiam scilicet, & inane seu vacuum, nullam admisere substantiam spiritualem. Idcirco putabant & mentem humanam esse corpoream, & ipsius ideas nihil aliud esse, quam corporum simulacra quædam, & imagines corporeas, ab objectis externis emissas, a sensibus nostris exceptas, atque in cerebro superfusas, ad eum fere modum quo tabellæ asperguntur colore. Error iste crassissimus ex iis satis refellitur, quibus mentem humanam spiritalem esse demonstravimus. Propterea quomodo posset e corporibus emanare tot species absque corporum ipsorum imminutione, præsertim si attendamus singula objecta quolibet instanti ab innumeris fere spectatoribus videri posse? qua ratione tot imagines undequaque circumjectæ, ad oculos nostros distinctæ minimeque confusæ pervenirent.

SENTENTIA PERIPATETICORUM.

Spiritalem quidem esse mentem humanam profitentur Peripatetici; sed cum Epicureis in eo consentiunt, quod mentem suas omnes cogitationes ab objectis corporeis haurire comminiscantur. Rem autem sic explicant:

A-

Anima, inquiunt, est veluti tabula rasa, in qua nihil depictum cælatumve fuit, idonea tamen ad excipiendas quæ a sensibus oriuntur impressiones. Deinde ab objectis sensibilibus emittuntur imagines quædam ipsis similes, quæ per oculos, tanquam per fenestras, intromissæ, in cerebrum delatæ, in eo imprimuntur. Ideo species illas appelant *impressas*. Hujusmodi simulacra sese conspicienda offerunt intellectui, qui *agens* vocatur; iste vero pictoris instar ad ea sese convertens, alias species iis consimiles cudit, fabricat, spiritalesque efficit. Tandem hujusmodi species sic ab omni materia segregatæ recipiuntur in intellectu, qui *patiens* dicitur, quique hoc pacto cognitionibus & ideis informatur. Ultimas illas species vocant *expressas*, quia intellectus *agens* eas ex prioribus velut exprimit. Hoc ridiculo systemate freti Peripatetici, omnes ideas a sensibus oriri contendunt. Solemne est apud ipsos istud effatum: *nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*.

Quam absurda sit Peripateticorum opinio facile apparet. Quis enim non irrideat fabrilem illam officinam, in qua, tanquam e fornace, eductæ imagines corporeæ, ab intellectu *agente* excuduntur, in formasque spiritales convertuntur, ut possint in animam admitti? qui non percipiat aut inutilem esse, aut impossibilem intellectus, ut vocant, *agentis* laborem? inutilem, si mens jam cognoscat objectum cujus fingenda est species; impossibilem, si nondum cognoscat; neque enim pictor, hominis, v. g. sibi penitus ignoti tabellam delineare potest. Hanc sententiam quæ jampridem obsolevit, decretoriis argumentis confutat P. Malebranche. *Recherche de la vérité, lib.* 3. *part.* 2. *chap.* 2.)

SENTENTIA LOCKIANORUM.

In exponendam & adornandam Peripateticorum opinionem omnes ingenii sui vires ita contulit Lo-

Lockius, ut non tam antiqui instaurator, quam novi systematis parens habeatur. Sicut veteres illi Philosophi, censet intellectum e conditoris manibus prodire velut tabulam rasam, sed quæ, interveniente sensuum ministerio, locupletissima in dies cognitionum supellectili ornatur. Statuit igitur omnes ideas, sive *proxime*, sive *remote*, a sensibus tanquam occasionibus, ortum ducere.

Omnes ideæ, inquiunt Lockiani, quarum sibi quisque conscius est, revocantur ad ideas rerum sensibilium, & ad ideas rerum mere intelligibilium, quæ nulla imagine sensibili exhibentur; atqui priores a sensibus *proxime*, sive *immediate*, posteriores autem *remote* sive *mediate*, oriuntur.

Primam partem, inquiunt, satis demonstrat experientia: ex impressionibus enim factis in organa *visus*, *auditus*, *olfactus*, nascuntur ideæ *colorum*, *sonorum*, *odorum*. Idem judicium ferendum est de ceteris qualitatibus sensibilibus v. g. *duritiei*, *mollitiei*, *dulcedinis*, *amaritudinis*, quarum ideæ quibusdam sensuum organis, *tactus* scilicet & *gustus*, ita illigatæ sunt, ut alia quacumque ratione comparari non possint. Experientia enim constat, eos qui nonnullis sensuum instrumentis orbati sunt, iis ideis plane destitutos esse, quibus excitandis destinata fuerant prædicta sensuum organa. Rerum igitur sensibilium ideæ a sensibus *proxime* oriuntur.

Secundam partem sic probant: illæ ideæ a sensibus *remote* derivantur, quæ efflorescunt ex attentione mentis in ideas objectorum externorum, jam sensuum interventu acquisitas, sese replicantis: atqui ita se habent notiones rerum aut spiritualium, v. g. Dei & mentis humanæ, aut mere intelligibilium, quales sunt ideæ justi & injusti, virtutum & vitiorum.

1. Quidem ideam Dei acceptam habemus ex mundi hujus admirabilis contemplatione. Cum enim unusquisque clare percipiat ex nihilo, tanquam ex causa efficiente, quidquam originem mu-

tua-

tuari non posse, primo velut intuitu detegit Ens aliquod æternum & independens in rerum natura agnoscendum esse. Deinde primariam hanc Dei notionem ope reflexionis evolvens, ceteras ipsius perfectiones, v. gr. summam intelligentiam, omnipotentiam, ab omni prorsus materia distinctionem, non animus facile deprehendit. Denique perfectiones omnes, quas in seipso ceterisque creaturis agnoscit, quantum potest imaginatione amplificans, easdem Enti supremo in gradu infinito, & sine ulla imperfectionis mistura tribuit, atque ita sibi fingit ideam Entis infinite perfecti, idearum omnium maxime complexam. (*Essai sur l' entendement humain*, *liv.* 2. *chap.* 23. *n.* 33. *liv.* 4. *chap.* 10. *n.* 3.)

2. Idea mentis nostræ ipsiusque operationum a sensibus *remote* oritur. Mens enim in ideas, quæ per sensus turmatim irruunt, attentionem suam retorquet; nunc has, nunc illas expendit; nunc alias cum aliis confert. Ubi inter eas nexum & societatem deprehendit, eas secum invicem jungit, sicque affirmationis ideam acquirit. Cum aliquas a se invicem dissidere percipit, tunc aliam ab alia disjungit & removet, sicque negationis ideam comparat. Interdum vero quæ sit duarum idearum inter se ratio non satis deprehendit, tunc circa eas vel jungendas vel separandas incerta & anceps fluctuat, sicque ideam dubitationis obtinet; ergo mens in ideas objectorum sensibilium sese replicando, & sui ipsius, & suarum operationum notiones sibi fingit. (*Condillac*, *Essai sur l' origine des connoissances humaines*, 1. *part. sect.* 1. *ch.* 1. *parag.* 4.)

3. Non aliam habent originem justi & injusti, virtutum vitiorumque notiones. Enim vero cum omnes homines non iisdem viribus, non iisdem facultatibus polleant, cum insuper unusquisque in societate communi privatam utilitatem inquirat, remque suam amplificandi cupiditate laboret, sæpe contingit ut debiliores a potentioribus oppri-

man-

mantur. Ex illa autem oppressione, quam eo gravius sustinemus, quo violentior videtur, quamque sine ulla causa nobis incumbere sensu quodam intimo percipimus, nascitur idea injusti, & consequenter idea justi, quæ priori opponitur. Hinc derivatur lex naturalis, legum omnium, quæ inter homines institui debuerunt, fons & principium. Ita Auctor hisce temporibus notissimus. Unde concludit *reflexas* justi & injusti, virtutum atque vitiorum notiones, non tam ex ipsis naturæ documentis, quam ex mutuis hominum inter se relationibus oriundas esse. His quippe verbis mentem suam declarat: *Le mal que nous éprouvons par les vices de nos semblables, produit en nous la connoissance réfléchie des vertus opposées à ces vices; connoissance précieuse, dont une union & une égalité parfaite nous auroient peut être privés.* (Discours préliminaire de l'Encyclopédie.)

Observatio.

In tuendo Philosophi Angli systemate quasdam sibi conditiones imponunt melioris notæ Lockiani. 1. Inquiunt, non habendi sunt sensus ut idearum causæ efficientes, quasi ex iis, *velut rami ex trunco, cogitationes nostræ pullularent*; cui assertioni *Materialismi* notam merito inussit sacra Facultas Parisiensis anno 1759.; sed impressiones, quibus objecta corporea sensus nostros commovent, meræ sunt occasiones, quibus positis, Deus certas ideas mentibus nostris ingerit. 2. Id intelligi debet de statu naturæ lapsæ, in quo mens humana è suo in corpus dominio deturbata est, minime vero de statu naturæ innocentis. Tunc enim mens a concupiscentia prorsus immunis, sensibus imperitabat, tanquam domina, eosque suum ad nutum flectebat & moderabatur. Quid scilicet naturæ integræ magis consentaneum, quam ut mens luce divina ve-

lu-

luti conspersa colluceret, neque a sensibus, qui tardi sunt & hebetes, cognitionem omnem suam repeteret? 3. Philosophi qui statuunt omnes ideas, sive *proxime*, sive *remote* a sensibus ortum ducere, id tantum intelligant necesse est de homine in hac vita mortali constituto: mens enim a corpore & sensibus soluta, suas functiones liberius exercebit, ad veritatemque cognoscendam aptior erit & paratior. Hos intra fines doctrinam Lockianam coercet D. de Condillac, qui disertis verbis lectorem admonet 1. sensus non esse idearum nostrarum causas efficientes, sed meras occasiones; 2. hanc propositionem, *omnes ideæ a sensibus oriuntur*, ad animam aut innocentem aut a corpore separatam minime pertinere. (*Essai sur l' origine des conoissances humaines*, *sect.* 1. *cap.* 1.)

SENTENTIA CARTESIANORUM.

Quamvis Cartesiani confiteantur mentem a corpore plurimum pendere; ex quo potissimum tempore natura nostra per peccatum in deterius mutata est, negant tamen ideas omnes a sensibus vel *proxime* vel *remote* originem ducere. Sunt enim in nobis plurimæ rerum aut spiritalium, aut mere intelligibilium notiones, quæ nulla qualitate sensibili vestiuntur, nullamque cum organis sensuum affinitatem habent. Præterea sanioris Philosophiæ ea sunt præcepta, ut accurate secernamus finem & usum diversarum animi facultatum, ne forte uni tribuamus, quod altera potiori jure sibi vindicat. Jam vero facultatem quasdam occasione corporum sensationes experiendi, eo tantum consilio nobis concessit sapientissimus naturæ conditor, ut mens statim & sine disquisitione cognoscat quænam suo corpori prodesse, quænam nocere possint, atque ita ipsius conservationi provideat; minime autem, ut ab impressionibus in organa sensuum factis accuratam rerum,

rum, præsertim metaphysicarum & moralium cogitationem expectemus. Hinc Cartesius, Malebranchius, aliique complures magni nominis Philosophi, intellectionem puram a sensibus & imaginatione ita distinguunt, ut priori facultati quasdam adscribant notiones, v. g. Dei, mentis nostræ, veri & falsi, justi & injusti supra sensus & imaginationem positas. Contendunt etiam in mathematicis circulum aut quadratum perfectum, figuram mille angulis & mille lateribus constantem, sola intellectione, minime vero sensibus & imaginatione cognosci. Imo docent in rebus etiam physicis, quæ ejus naturæ sunt, ut experientiæ judicio permittantur, quales sunt corporum extra nos positorum magnitudines, figuræ, distantiæ, motuum velocitates, gravissimis erroribus obnoxias esse sensuum relatione, nisi secum invicem conferantur & rationis lance ponderentur. *Recherche de la vérité, liv. 1..... Essais de Metaphysique, chap. 1. n. 3. & suiv.*

His freti principiis asserunt Philosophi superius memorati, quasdam ideas occasione sensuum, quasdam sine sensibus in mente nostra a Deo produci; quibuscum sit

PROPOSITIO.

Plurimæ ideæ, rerum scilicet spiritualium aut mere intelligibilium, nec proxime, *nec* remote *a sensibus originem ducunt.*

I. ARGUMENTUM.

Ex eo quod prædictæ notiones cum ideis rerum sensibilium nullam prorsus habeant affinitatem, aut naturæ cognationem.

Demonstrant omnes Philosophi Christiani, ne ipsis quidem adversariis exceptis, a nobis, qua-

quacumque tandem ratione, percipi Deum, sive Ens infinite perfectum, & ab omni prorsus materia secretum, mentem nostram ipsiusque operationes, naturales immutabilesque justi & injusti notiones; atqui ideæ Dei, sive Entis infiniti & spiritualis, mentis nostræ, justi & injusti, a sensibus nec *proxime* nec *remote* originem ducunt.

Prob. 1. pars, scilicet prædictas ideas a sensibus *proxime* non derivari. Objecta, quæ his notionibus exhibentur, nullo colore, nulla figura, nulla demum qualitate sensibili donantur, ut possint aut sensibus percipi, aut imaginatione repræsentari. Merito igitur auctor *Artis cogitandi* ad ideas plane similes, entis scilicet & cogitationis, alludens: *Je demande par quels sens elle sont entrées. Sont-elles lumineuses, ou colorées pour être entrées par la vue? d' un son grave ou aigu, pour être entrées par l' ouie? d' une bonne ou d' une mauvaise odeur, pour être entrées par l' odorat? de bon ou de mauvais goût, pour entrer par le goût? froides ou chaudes, dures ou molles, pour être entrées par l' attouchement?* (Art. de penser. 1. part. chap. 1.)

Præterea notiones illas præjudicatis opinionibus non esse annumerandas, inde probant Philosophi Christiani, quod superent & sensum & imaginationis captum, quæ internæ sunt præjudiciorum causæ: v. g. ideam Dei naturalem esse, neque a præjudiciis ortum ducere demonstrat D. Abbadie, quia nedum ipsi faveant, contra reluctantur sensus & imaginatio. *La coutume que nous avons prise de soumettre notre raison à nos sens, & de rejeter comme une spéculation, ce qu' on ne nous fait point voir & toucher, fait un des préjugés des Athées qui ne croient point de Dieu, parce qu' ils n' en vojent point. La difficulté qu' ils ont à s' imaginer ce que c' est que Dieu, ce qu' il faisoit avant qu' il fit le monde, forme un second préjugé dans leur esprit. Traité de la vérité de la Relig. Chrét. 1. part. sect. 1. chap. 3.*)

Hinc

Hinc concludere licet notionem Dei, ac proinde ceteras ejusdem generis ideas, neque sensuum, neque imaginationis adminiculo intellectum humanum subiisse; ergo 1. ideæ Dei, mentis nostræ, justi & injusti a sensibus *proxime* non oriuntur.

Prob. 2. pars, scilicet easdem ideas a sensibus *remote* non dimanare. Si enim res ita se haberet, maxime quia mens sese replicando in ideas ope sensuum acquisitas, ad notiones rerum spiritualium aut mere intelligibilium assurgeret, ut superius expositum est ex ipsis insigniorum Lockianorum documentis: atqui hanc originem repellunt ideæ Dei, mentis nostræ, justi & injusti quas in exemplum assumimus.

1. Quidem idea Dei non oritur a reflexione mentis in ideas ope sensuum comparatas. Quantamcumque enim attentionem ideis rerum sensibilium adhibeamus, nunquam in iis deprehendemus, nisi quod continent & repræsentant; hujusmodi autem notiones nihil complectuntur neque exhibent, nisi extensum, mobile, figuratum, coloratum, uno verbo, nihil nisi materiale & limitatum: atqui aut nullam omnino Dei notionem habemus, aut ipsum concipimus tanquam Ens omni perfectionum genere cumulatum, ab omni prorsus compositione alienum; ergo idea Dei non oritur ex reflexione mentis in ideas rerum sensibilium. Insuper, ubi agebatur de natura finiti & infiniti, probavimus infinitum a nobis per seipsum intelligi, minime vero tamquam negationem finiti: atqui Deus unicum est veri nominis infinitum; ergo ipsius ideam in mente nostra non generat rerum sensibilium finitarum contemplatio.

2. Idea mentis nostræ ipsiusque operationum v. g. affirmationis & negationis, ex prædicta in ideas rerum sensibilium reflexione ortum non ducit: enim vero, juxta nobiliores Lockianos, postquam mens objecta sensibus apprehensa secum in-

invicem contulit, eadem conjungit aut separat, prout convenire, aut non convenire percipiuntur, sicque ideam affirmationis & negationis sibi fingit. Verum qua tandem ratione mens potest objecta sensibilia secum invicem collata jungere vel separare, nisi inter agendum prælucentes sequatur affirmationis & negationis ideas? quid est enim affirmare aut negare, nisi ideas conjungere vel disjungere? Itaque vel dicendum est mentem nostram temere & fortuito primas suas functiones obire, vel confitendum his operationibus prævias esse naturales affirmationis & negationis notiones. Quod autem de affirmatione & negatione statuimus, idem de ceteris mentis operationibus intelligendum est. Ergo 2. idea mentis nostræ ipsiusque operationum non oritur ex reflexione in ideas sensuum ope comparatas.

3. Denique ex hoc fonte non dimanant justi & injusti notiones: nisi enim natura, aut potius ipse naturæ conditor Deus, prima hæc idearum moralium elementa omnium pectoribus inseruisset, qua de causa tot miserabiles querelas effunderent debiliores, potentiorum tyrannide vexati? Quid sentiunt, inquiunt adversarii, se nihil amisisse quo tantam oppressionem in se concitarent; non igitur doloris tantum, sed etiam injuriæ quam patiuntur, sensus eos indignatione commovet, ac proinde, natura duce & magistra, percipiunt unicuique jus esse ad propriæ vitæ, libertatis, famæ, bonorumque conservationem; aliosque homines non posse, absque injustitia, privato cuilibet, nihil hostile molienti, quidquam contumeliæ aut damni inferre. In homine autem his sensibus imbuto quis continuo non agnoscat primarias boni & mali, justi & injusti notiones?

Præterea naturalem & rerum & cogitationum ordinem invertunt Philosophi supra dicti, dum ex malis, quibus nos afficiunt ceterorum hominum vitia, virtutum iisdem vitiis oppositarum notiones.

nes derivatas volunt. Imo potius; & in ipsa rei veritate, & juxta nostrum concipiendi modum, ordo inordinationem antecedit; ideo quippe actiones quædam injustæ sunt sive inordinatæ, quia immutabili ordini dissentiunt: *Tout ce qui n'est pas conforme à la regle, n'est pas droit: il faut donc avoir la connoissance de la regle, pour dire que ceci ou cela n'est pas droit*, inquit auctor cujus testimonium minime suspectum est, ubi disserit de variis sophismatum generibus. (*Logique de Du Marsais*, *art.* 13.) ergo malorum experientia, quibus occasionem præbent nefariæ hominum cupiditates, ideas justi & injusti excitare quidem potest, minime vero in mente nostra producere; ergo hujusmodi ideæ non oriuntur a sensibus, etiam *remote*. Idem præterea de notione tum Dei, tum mentis nostræ tum ipsius operationum probavimus; aliunde ostendimus præfatas ideas a sensibus *immediate* sive *proxime* non dimanare; ergo plurimæ, &c.

II. ARGUMENTUM.

Ex eo quod sensus accuratis rerum spiritalium aut mere intelligibilium notionibus comparandis, potius obsint, quam prosint.

Illæ ideæ nullo modo sunt sensibus adscribendæ, quibus informandis potius obstant sensus, quam prosunt: atqui ideis rerum, &c. ut enim habeantur hujusmodi notiones, a rerum corporearum & sensibilium imaginibus revocandus est animus, ita ut eo minus in hoc genere cognitionum proficiamus, quo magis objectis sensibilibus & corporeis mens nostra detinetur. Hinc Cartesius, Malebranchius, aliique insignes Philosophi, quibus & ipsi Lockiani quandoque se adjungunt, eos qui veritati inquirendæ, præsertim in metaphysicis & moralibus, operam dare volunt, frequen-

quenter admonent, ut a sensibus abstracti, in intimis animæ quasi penetralibus veritatem contemplentur, nullis figuris delineatam, nullis coloribus fucatam, nulla imagine sensibili deformatam.

Et certe qua de causa homines, etiam ingenii doctrinæque fama clarissimi, in turpissimos errores circa naturam Dei, mentis humanæ, summi & absoluti boni, necnon primarias morum regulas inciderunt, nisi quia res, præeunte solius rectæ rationis luce investigandas, sensuum, & imaginationis arbitrio permiserunt? non minus igitur vere quam eloquenter exclamat D. Bossuet: *D'où vient donc que l'impie ne connoît point de Dieu, & que tant de nations ou plutôt que toute la terre ne l'a pas connu, puisqu'on en porte l'idée en soi même avec celle de la perfection? d'où vient cela? si ce n'est par un défaut d'attention, & parce que l'homme livré aux sens & à l'immagination ne veut pas, ou ne peut pas se recueillir en soi même, ni s'attacher aux idées pures, dont son esprit embarassé d'images grossieres, ne peut porter la vérité simple.*

Ex iis omnibus concludere licet, has potissimum esse sensuum partes, ut mentem nostram certiorem efficiant de iis omnibus quæ ad corpus nostrum relationem habent, atque ita ipsius vigilantiam excitent, minime vero ut notiones rerum spiritualium aut mere intelligibilium suppeditent.

III. ARGUMENTUM.

Ex natura Mentis humanæ.

Superius probatum est, non meram cogitandi facultatem, sed cogitationem ipsam in idea mentis nostræ ita contineri, ut, ea sublata, nihil amplius in mente concipiendum remaneat. Ideo mentem humanam definivimus *substantiam cogitantem, regendo corpori accomodatam*. Hanc naturam servare debet anima rationalis, etiam cor-

po-

pori conjuncta, etiam peccato inquinata, quamvis deploranda rerum conversione in deterius mutata fuerit: atqui si omnes ideæ vel *proxime* vel *remote* a sensibus oriantur, si mens humana statim ab ortu sit *tabula rasa*, *quibuslibet vacua characteribus*, dici non potest cogitationem ad ipsius naturam pertinere; cum omnes suas cogitationes a sensibus mutuetur.

Neque dicant Lockiani mentem nostram saltem quibusdam affici sensationibus, occasione corporis, antequam aliis cogitationibus informetur: illæ enim sensationes comitantur, præviumque supponunt existentiæ propriæ sensum intimum, naturalemque felicitatis amorem, qui sine aliqua cognitione entis & boni, saltem confusa & obscura esse non possunt. Præterea sensationes neque in infantibus, neque in altissimo somno dormientibus, &c. nullam habent reflexionem adjunctam, ergo in systemate Lockianorum non sunt veræ cogitationes, cum, juxta ipsos, cogitatio quælibet in seipsam reflectatur; ergo si omnes ideæ a sensibus oriantur, mens humana per longum fortasse tempus iis caret attributis, quæ tamen ipsius naturæ inhærent.

IV. ARGUMENTUM.

Ex eo quod Sententia Lockianorum certitudinis philosophicæ fundamentum evertat.

Illa sententia certitudinis philosophicæ fundamentum evertit, qua posita nihil certo cognosci, nihil certo demonstrari potest: atqui, posita Lockianorum sententia, nihil, &c. Ad legitimam enim demonstrationem requiritur, ut extra dubitationem omnem posita sint principia, quibus innituntur nostræ demonstrationes: atqui in Lockianorum opinione certa non sunt principia, quibus &c.; cum enim non fuerint mentibus nostris naturaliter impressa; verum ex notionibus singula-

laribus occasione sensuum exceptis ad arbitrium composita, nostrum quidem cogitandi modum exprimunt, sed cum ipsa rei veritate necessariam immutabilemque connexionem non habent. Hinc pronuntiant multi Lockiani principia generalia, sive axiomata, nullam fere in demonstranda veritate utilitatem afferre; hinc docent rerum definitiones a verborum definitionibus nullo modo differre: atqui tamen nihil certo demonstrari potest, nisi principiorum generalium subsidio, quorum veritas ipsa vocum expositione intelligatur, quæque ideo dicuntur per se nota: v. g. Geometræ suis demonstrationibus, & quidem merito, præmittunt quasdam propositiones ita evidentes, ut iis assensus denegari non possit, qualis est ista maxime usitata: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*.

Idem præstant Metaphysici, ubi ex hoc principio, naturali & omnibus obvio, *non datur effectus sine causa*, concluditur existere Ens æternum, necessarium, cujus virtute cetera omnia existant. Hæc sanæ rationis principia neque per sensus mentem subierunt, cum universalia sint; neque haberi debent ut reflexionum nostrarum fœtus, cum etiam invitos ad assentiendum nos impellant; ergo hujusmodi principiorum certitudo consistere non potest in sententia quam impugnamus.

Præterea ut veritatem cognitam aliis demonstremus, necesse est, ex principiis quibusdam inter nos & ipsos communibus argumentari, ut evidens est: atqui Lockiani, si tamen sibi constare velint, nulla possunt admittere principia omnibus communia. Cum enim organa sensuum non sint in diversis hominibus eodem modo disposita, cum insuper omnes, neque in iisdem rebus sensibilibus, neque in iisdem circumstantiis, afficiantur, impossibile est eos solo sensuum præsidio fretos, in easdem plane notiones convenire. Hinc plerique Lockiani contendunt nullam es-

esse Dei, v. g., virtutum & vitiorum notionem in omnibus uniformem, nulla prorsus morum principia communia & per se nota, ne istud quidem: *alteri ne feceris quod tibi fieri non vis*. (*Essais sur l'entend'ment*, *&c. lib.* 1. *chap.* 2. Ergo in sententia, &c.

V. ARGUMENTUM.

Ex aliis Sententiæ quam impugnamus consectariis.

Istæ sunt consecutiones ex doctrina Lockiana sponte defluentes. 1. Mens humana, saltem per aliquot annos, in statu mere animali versatur, quandiu scilicet, deficiente reflexione, solis afficitur sensationibus, quas adversarii belluis denegare non solent. Plus dicam, anima infantis pejoris conditionis esse videtur, quam anima belluina eodem instanti procreata: siquidem naturalis, ut vocant, instinctus multo celerius sese prodit in brutis animantibus, quam usus rationis in hominibus.

2. Infans, quemadmodum amentia perpetua laborans, a legibus divinis & humanis habetur ut *persona* sive *suppositum rationale*, cui competunt sua jura, tanquam homini, Christiano, civi: atqui longe aliter sentiendum erit, positis Lockii principiis, siquidem apud eum nulla est personæ ratio, ubi nullus est præsentis existentiæ sensus intimus cum recordatione præteritarum cogitationum conjunctus. Ea de re legatur eximium opus & commendatione dignum, cui titulus est: *de la Nature de l'âme*. (*Tom.* 1. *pag.* 25. *& suiv.*)

3. Docent adversarii mentem humanam ita fuisse a Deo comparatam, ut suas in ideas sese replicare possit. Reflexionis ope facultates hominis evolvuntur, juvantibus parentum & magistrorum auxiliis. Jam vero si notiones omnes a sen-

sibus oriundæ sint, nullæque fuerint menti nostræ naturaliter inscriptæ, quænam erunt primarum reflexionum objecta? an ipsa substantia mentis? verum ab adversariis exhibetur veluti *tabula rasa quibuslibet vacua characteribus*. An ea, quæ sensibus obversantur? sed objecta sensibilia repræsentare non possunt nisi quod continent; nihil autem habent nisi materiale & finitum. Quomodo igitur mens ad cognitionem Dei, sui ipsius, & officiorum quibus obstringitur, assurgere valebit? Nec confugiant adversarii ad parentum & magistrorum documenta; aures quidem commovere, atque sic attentionem excitare, reflexionem promovere possunt; minime vero intellectum ideis in ipso nondum existentibus informare, alioquin immediate mentem afficerent, quod solius Dei proprium est.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Idea Dei originem ducit ex mundi hujus admirabilis contemplatione; inde enim mens assurgit ad Numen supremum, tanti operis architectum, & rectorem sapientissimum. *Invisibilia enim ipsius*, inquit Apostolus, *per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas*; (*Rom.* 1. 20.) ergo ideæ rerum maxime spiritalium a sensibus oriri possunt saltem *remote*, id est, ope reflexionum in ideas jam sensibus acquisitas, ut superius expositum est, auctore Lockio.

Resp. Neg. ant. Ex mirabili hujus mundi aspectabilis compage, partiumque omnium concentu, invicte quidem demonstratur existere supremum aliquod Numen; rerumque creatarum contemplatione in mente vividior fit ipsius creatoris idea; sed rerum sensibilium, vel maxime perfectarum, intuitus non sufficeret ad præclaram hanc notionem ope reflexionis acquirendam, nisi ipsa creatoris, quem repræsentat, omnipotenti manu mentibus nostris inscripta fuisset.

Nam

Nam 1. ideo ex creaturis Deum esse colligimus, quia, natura duce, percipimus, *nihil fieri sine causa, nihilumque nullius rei causam efficientem esse posse*, ut confitetur ipse Lockius. Istud autem principium unde natum est? Numquid ortum ducit ex observationibus in ea factis, quæ quotidie sensibus nostris obvia sunt? minime gentium. Sensus enim nihil nisi singulare repræsentat; principium vero, de quo agitur, universale est.

2. Deum percipimus non tantum sub idea generica causæ primæ & universalis, sed etiam sub notione magis accurata Entis in omni perfectionum genere infiniti, ab omni prorsus materia secreti, necessario existentis, immutabilis, omnipotentis, independentis, æterni, &c. hæc autem attributa, quæ a Theologis dicuntur *incommunicabilia*, nullius rei sensibilis & finitæ contemplatio exhibere potuit.

Hinc concludere licet ideam Dei, nequidem a consideratione propriæ mentis educi, quatenus scilicet Deo tribuimus in summo gradu perfectiones omnes quas in mente nostra limitatas esse deprehendimus, ut contendunt nonnulli Metaphysici. Si enim quædam Dei attributa, v. g. sapientia, justitia, bonitas, menti nostræ in gradu valde finito conveniunt, alia sunt superius laudata, quorum sese participem esse mens humana nullo modo gloriari potest; superest igitur ut confiteamur ideam Dei mentibus nostris, ante sensationem omnem & reflexionem, ab ipso Deo fuisse inditam.

Inst. Quamvis inter ideas Entis summe perfecti, rerumque spiritualium aut mere intelligibilium, & ideas rerum sensibilium nulla sit affinitas, nulla relatio; Deus tamen occasione reflexionum mentis in objecta corporea, potest sui ipsius, rerumque spiritalium & mere intelligibilium notiones nobis impertiri; ergo prædictæ relationis defectus non impedit quominus omnes

ideæ,

ideæ, sive *proxime*, sive *remote* a sensibus oriantur.

Resp. Neg. conseq. Esto Deus occasione reflexionum mentis in objecta corpora, rerum spiritalium aut mere intelligibilium notiones nobis ingerat; numquid inde concludere licebit omnes ideas a sensibus *proxime* aut *remote* derivari eo sensu, quo volunt adversarii? nequaquam: enim vero pronuntiant ex ideis sensuum ministerio exceptis, rerum spiritalium notiones ab ipsa mente cudi, fabricari, elaborari, ut supra ex ipsorum documentis expositum fuit. Porro impossibilem esse hanc idearum fabricationem contendimus. Quamtumvis enim mens humana in rerum sensibilium ideas sese replicet, nihil ex ipsis educere potest, nisi quod continent & repræsentant: atqui nihil continent, nihil exhibent, nisi compositum & limitatum. Quemadmodum igitur mens humana in idea circuli deprehendere nequit proprietates quadrati; ita etiam ex ideis rerum sensibilium nunquam extundet Entis spiritalis aut mere intelligibilis notionem, & multo minus Entis infinite perfecti ideam.

Objic. 2. Tam potest mentis in ideas objectorum sensibilium reflexio, notionem Dei aliarumque rerum mere spiritualium in mente nostra producere, quam renovare iterumque menti præsentes reddere: atqui posterius confitentur Cartesiani; sic, inquiunt, homines rebus corporeis plus æquo dediti, ad consopitam Dei ideam revocantur, miro hujus orbis spectaculo commoti: ergo prius confiteantur necesse est, &c.

Resp. Neg. maj. Impressiones quidem a rebus sensibilibus factæ, modo tamen moderatæ sint, neque turmatim in mentem irruant, attentionem juvant, reflexionem excitant, etiam in ideas rerum spiritualium aut mere intelligibilium. Mens enim humana, quasi sensibus immersa, ex quo tempore innocentiam, qua primum ornata fuerat, amisit, maxime indiget sensuum adminicu-

lo

lo; non quidem ut producantur rerum spiritalium notiones, sed ut vividiores evadant imaginationique propiores. Hinc Scriptura Sacra, ut infirmitati nostræ sese accommodaret, plerumque consuetis objectorum sensibilium imaginibus, & mysteria salutis nostræ, & ipsas perfectiones divinas adumbravit. Hanc methodum sequi debent rerum metaphysicarum & moralium Doctores; si enim intellectum illustrare velint, necesse est ut imaginationem alloquantur. Nedum tamen rerum sensibilium imagines menti nostræ objectorum spiritualium ideas suppeditent, imo potius removendæ sunt, ubi agitur de accurata veritatis cognitione comparanda; ideo veri falsique judicium non in sensibus aut in imaginatione, sed in intellectione pura sedem habet.

Res illustratur exemplo familiari; si tabellam alicujus hominis, mihi aliunde noti, ad vivum expressam inspexerim, in mentem recurret non tantum ipsius effigies, sed etiam ingenium, indoles, agendi & vivendi ratio. Verum quia tales ideæ in ipsa tabella non repræsentantur, procul dubio ejusdem occasione mentem non subirent, nisi in ea prius exstitissent.

Instab. Si impressiones occasione rerum sensibilium factæ, attentionem rebus spiritualibus debitam juvent, immerito Cartesiani sensus calumniantur, dum eos inveniendæ veritati plus nocere, quam prodesse contendunt.

Resp. Neg. hanc consecutionem. Fatentur enim Cartesiani impressiones de quibus agitur, modo tamen moderatæ sint, neque rationem prævertant, imaginationem facile divagantem intra legitimos fines continere, ipsumque intellectum sublevare, quatenus sublimiorum veritatum fulgorem quodam velamine temperant. Hinc Geometræ, summa cum utilitate, varias figurarum species sensibus offerunt delineatas: hinc rerum moralium magistri præcepta sua factis exemplisque illustrant, ut in mente imaginum sensibilium avida

im-

imprimantur altius. At ubi desideratur accurata & genuina veritatis cognitio, necesse est ut intellectus supra sensus & imaginationem assurgat. Itaque Geometræ, v. g. figuras quasdam mente concipiunt, aut supra sensuum & imaginationis captum positas, qualis est figura mille lateribus, & mille angulis constans; aut iis longe perfectiores, quæ sensibus & imaginationi subjiciuntur, qualia sunt circulus & quadratum numeris omnibus absoluta. Pariter disciplinæ moralis Doctores in mente habent quamdam sinceræ virtutis notionem, quæ omnem experientiam humanam antecedat, & sublimitate vincat. Hinc ita monet Malebranchius: *Que l'on conçoive bien que nos sens ne nous sont donnés que pour la conservation de notre corps; qu'on se fortifie dans cette pensée, & que pour se délivrer de l'ignorance où l'on est, on cherche d'autres secours que ceux qu'ils nous fournissent.* (*Recherche de la verité, l.* 1. *chap.* 2.)

Objic. 3. Supponunt Cartesiani propositiones singulares ope principiorum generalium, in quibus continentur, demonstrari: atqui illud falsum est; nam experientia constat circa res singulares sensibus apprehensas versari primas hominis cognitiones, quas deinde, repetitis in objecta quæ similia videntur experimentis, argumentoque ab analogia ducto, universales efficimus; ergo ex cognitionum humanarum principiis male colligitur, quasdam ideas absque sensuum interventu comparari.

Resp. Neg. min. Nam duplicis generis cognitiones distinguendæ sunt; aliæ naturales, quæ ex primis rationis humanæ principiis educuntur; aliæ acquisitæ, quæ experimentis & observationibus ope sensuum factis innituntur. Fateor equidem posteriores illas cognitiones, v. g. legum quibus corpora in suis motibus diriguntur, omniumque phænomenorum, quæ ex his legibus libera Dei voluntate constitutis oriuntur; fateor, in-

inquam, hujusmodi cognitiones solius observationis ope posse comparari. Itaque a proposito fine multum aberraret, qui in rebus physicis systema quoddam generale proponeret, priusquam naturam iteratis & diligentibus experimentis interrogavisset; & quidem hoc incommodum non satis effugisse videtur ipse Cartesius, ab insignioribus Lockianis in hac parte merito reprehensus. Verum cogitationes naturales, v. g. rerum metaphysicarum, moralium, atque etiam mathematicarum, quarum objecta necessaria sunt & immutabilia, mentis in rerum sensibilium ideas reflexione excitari quidem possunt, non produci; cum ex natura sua universales sint, & omnibus intelligentiis communes; imo & ipsis cogitationibus experientiæ testimonio acquirendis quædam præmittenda sunt principia generalia; v. g. naturam esse constantem & uniformem in suis operibus, ac proinde similes effectus ex similibus causis exoriri, similiumque rerum similes esse proprietates. His principiis fundatur omnis observationum & experimentorum theoria.

Instab. probando min. Nedum principia generalia ad veritatem demonstrandam inserviunt, imo potius eam obscurant, quia nimis vaga sunt, nec facile quæstionibus particularibus applicantur. Ita fere D. de Condillac. (*Essai sur l'origine des connoissances humaines, part.*1. *sect.*2. *cap.*7.)

Resp. Neg. ant. ejusdem probationem. Aliquando quidem contingit ut principia generalia, nedum ad veritatem ducant, imo potius errandi occasionem præbeant, vel quia eorum sensus non fuit accurate definitus, vel quia intra proprios fines non continentur: v. g. principio *rationis sufficientis* abusus est Leibnitzius, maximi tamen nominis Philosophus, ita ut divinam humanamque libertatem labefactaret. Augustissimam ex suaque natura lucidam *Entis infinite perfecti* notionem deformavit, obscuravitque Spinosa; cujus in systemate hæc propositio, *Ens infinite per-*

perfectum continere debet omnes omnino realitates, nihil parit nisi portentosum utraque caligine involutum. Verum principia generalia, modo tamen nec obscuris, nec ambiguis vocibus enuntientur, & suos intra limites coerceantur, magnam afferunt in demonstranda veritate utilitatem; quod quidem exploratum faciunt Geometræ, quos nemo nescit ex paucis axiomatibus, definitionibus & postulatis, atque disposita ratiocinationum serie, innumerabiles deducere conclusiones.

Objic. 4. Experientia quotidiana constat 1. mentem eo perfectius suas functiones obire, quo perfectiora sunt sensuum organa. 2. contingere posse ut improvisa quædam facultatum corporearum perturbatio rationis usum prorsus adimat: ergo nullas cognitiones habemus, nisi sensuum ministerio comparatas.

Resp. Neg. conseq. Aliud est enim mentem humanam a sensibus pendere in suis functionibus, etiam intellectualibus, obeundis: aliud eam nullas habere ideas, nisi sensuum beneficio comparatas. Primum quidem sequitur ex intima mentis & corporis conjunctione, qua fit ut corpus male se habere non possit, quin ipsa mens molestum ingratumque statum experiatur, & quandoque suarum facultatum usu privetur; ideoque in hoc capite consentiunt omnes Philosophi. Secundum vero nulla sufficienti ratione, nullo constanti experimento demonstratur; mentem humanam, saltem per aliquot annos, ad statum mere animalem dejicit: rerum spiritalium notionibus indecoram minimeque probabilem originem assignat, eamque ob causam a plurimis illustrioribus Philosophis rejicitur: ergo ex eo quod, &c. male concluditur, &c.

Objic. 5. Si omnes ideæ a sensibus vel *proxime* vel *remote* originem non ducant, quare igitur omnium linguarum voces primitivæ, seu radices, non ad objecta spiritalia, sed potius ad

res

res corporeas & sensibiles referuntur? Unde necesse fuit, ad exprimendas res mere spiritales, ex illis radicibus quasdam detorquere voces quæ ad sensum metaphoricum acciperentur? v. g. voces quibus utebantur Hebræi, Græci & Latini ad exprimendam substantiam ab omni materia secretam, juxta vim nominis ventum, flatum, respirationem significabant.

Resp. Data, non concessa hujus facti veritate, quam linguarum peritis discutiendam relinquimus, rem ita contingere potuisse, non quod homines nullam rerum insensibilium ideam haberent, nisi a sensibus acceptam; sed quia sensibus immersi, & parum de spiritalibus curantes, eo suam attentionem primo contulerunt, ut nomina rebus corporeis imponerent. Experientia enim constat plerosque homines, etiam hodiernis temporibus, parum de spiritalibus, plurimum de rebus corporeis, & cogitare & loqui, non quia nullam habent rerum spiritalium ideam, sed quia de iis nihil laborant, totique aliis objectis detinentur.

QUÆSTIO II.

Utrum dentur Ideæ innatæ.

In præsenti controversia duæ potissimum occurrunt sententiæ secum invicem conferendæ, una Lockianorum, altera Cartesianorum. Ad uberiorem autem rerum postea dicendarum intelligentiam lectorem monitum velim in memoriam revocandum esse totum caput de essentia mentis humanæ.

SENTENTIA LOCKIANORUM.

Juxta Lockianos, primarium mentis attributum in ipsa cogitatione non consistit, aut saltem illud nulla sufficienti ratione firmari potest, neque etiam mens perpetuo quibusdam cogitatio-

nibus informatur. Ad ipsius igitur naturam pertinet sola cogitandi facultas, successu temporis, occasione organorum evolvenda, ad actusque sibi proprios transitura. Mens itaque, ut existere incipit, est veluti *tabula rasa* omnibus vacua characteribus, omnium expers idearum: nullæ dantur innatæ, sed mentibus nostris congenitæ, quas velut commentum metaphysicum explodunt Gassendi clarissimus superioris sæculi Philosophus, Locke, du Marsais, de Condillac & d'Alembert, in operibus fama notissimis, quæ multoties a nobis allegata sunt. His autem ducibus, ideas innatas vehementius adoriuntur bene multi e schola Philosophi recentiores. Nullius principii, nequidem istius, *suum unicuique reddendum est*, cognitionem veluti ingenitam admittunt; sed eam quotidiano vitæ commercio comparatam volunt. Quod est igitur mentibus nostris innatum? sola facultas major aut minor hujus principii notionem aliasque similes acquirendi. Ita du Marsais, (*Logique art.* 6.)

SENTENTIA CARTESIANORUM.

Cum in principiis Cartesii mens humana *essentialiter* ac proinde perpetuo cogitet; cum insuper non omnes suas cogitationes a sensibus mutuetur, necesse est eam statim ab ortu quibusdam ideis informari; siquidem ideæ prima sunt omnium cogitationum elementa. Admittendæ sunt igitur quædam mentibus omnium innatæ, non quidem *actuales*, non *reflexæ*, verum ad naturam habituum accedentes, quæ si deficiat attentio, in nobis involutæ & quasi consopitæ delitescunt; si autem adhibeatur attentio, rursum excitantur, mentique præsentes fiunt. Illæ autem notiones ideo dicuntur innatæ, quia non pendent a causis externis, sed ab ipso Deo immediate conceduntur, tanquam dona ad integritatem naturæ nostræ pertinentia. Talis est existentiæ pro-

priæ

priæ sensus intimus, cum invicto felicitatis desiderio conjunctus; talis idea supremi Numinis quam nobis inditam pronuntiat Cartesius, ut esset tanquam sigillum artificis operi suo impressum; tales demum ideæ quibus nituntur generalia quædam principia, quorum veritas ab omnibus intelligentiis facillime percipitur, solaque verborum expositione innotescit, v. g. *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis.* Quærentibus autem adversariis qua ratione contingere possit, ut prædictæ notiones in mente nostra sedem habeant, quin de ipsis cogitemus; respondent Cartesiani plurimas inesse nobis v. g. dormientibus, cogitationes, plurimos amores *habituales*, qui tamen aut nullam, aut nonnisi levissimam pariunt sui conscientiam.

Hanc doctrinam non omnino Philosophis veteribus & præsertim Platonicis ignotam, plurimis Ecclesiæ Christianæ Doctoribus, & imprimis S. Augustino, valde probatam, ineunte sæculo proxime elapso, instauravit Cartesius, sanioris apud recentiores Philosophiæ parens merito nuncupatus. Eamdem propugnarunt Bossuet, Fenelon aliique bene multi insignioris notæ scriptores, qui superiore sæculo floruerunt. Huic inter recentiores suffragantur clarissimus & in omni scientiarum genere versatissimus D' Aguesseau Galliarum Cancellarius in opere quod inscribitur *Méditations métaphysiques sur l' origine de la justice.* (*Tom. XI. de la Collection de ses œuvres in 4.*) Sherlock auctor Anglus in opere, cui titulus est: *De l' Immortalité de l' âme* (*Chap. 11. sect. 3. pag. 89.*) Auctor operis concinnitatis brevitatisque laude commendabilis, quod inscriptum est: *Essai de métaphysique*; hos duces sequuntur quicumque supersunt hodiernis temporibus Cartesianæ philosophiæ sectatores. Quibus prænotatis sit

PRO-

PROPOSITIO.

Dantur Ideæ innatæ seu mentibus nostris congenitæ.

ARGUMENTUM I.

Ab ipsius mentis natura.

Ubi de mentis essentia disputavimus, cogitationem in ipsius idea necessario contineri probatum fuit; fingi proinde non potest mentem rationalem omni prorsus cogitatione, saltem *habituali*, esse destitutam. A primo igitur existentiæ suæ momento, quibusdam ideis, sive perceptionibus, informetur necesse est. Nam ideæ sunt veluti cogitationum elementa, cum ex iis nascantur ceteræ mentis operationes, v. g. judicium, discursus. Præterea mentem nostram ad comparandas Dei, sui ipsius, & officiorum moralium notiones, divinitus procreatam fuisse, nemo diffiteri potest: atqui, nisi homini primitus insita fuissent quædam doctrinæ veluti semina, nulla umquam sive Dei, sive officiorum moralium, rerumque spiritualium cogitatione ditari posset intellectus humanus, perpetuæ sterilitati mancipatus: enim vero, juxta Lockianos, mens sese replicando in ideas rerum sensibilium, sibi fingit notiones objectorum quæ sensibus impervia sunt; atqui jam probavimus in quæstione præcedenti, hujusmodi, quam inducunt, operationis neque apta instrumenta, neque idoneam esse materiam; ergo mens, utpote *essentialiter* & perpetuo cogitans, utpote ad verum cognoscendum nata, quibusdam ideis, saltem confusis, minimeque *reflexis* nunquam omnino vacat. Illæ autem ideæ, cum neque adventitiæ sint, neque factitiæ, superest ut dicantur innatæ.

ARGUMENTUM II.

Ex eo quod humana mens ad imaginem Dei creata fuerit.

Mentem humanam ad imaginem & similitudinem Dei conditam esse, ex ipsis Scripturæ Sacræ documentis superius ostendimus, agendo de essentia mentis humanæ. Quis autem in facultate quadam inani & omnium egena, qualem depingunt adversarii, Creatoris imaginem & similitudinem agnoscat? Merito igitur auctor libri, cui titulus est: *Essai de métaphysique*, mentem humanam opinione Lockii deformatam sic vindicat: *Si l' âme sans connoissance & sans amour dans le premier instant de son être, est une table rase, jusqu' à ce que les sens qui sont sa lumiere, viennent l' éclairer & l' instruire, quelle étrange stupidité que celle qu' on donne en partage à la plus noble & à la plus relevée des créatures aprés les Anges?... Est ce donc là ces être dont les Ecritures en relevent la grandeur magnifique? L' âme est l' ouvrage de Dieu, elle est un chef d' œuvre de sa puissance, elle a été formée à sa ressemblance & à son image: un être insensible, brut, stupide par état seroit il l' image de la souveraine intelligence & de la sagesse infinite* (*Chap.* 6. *n.* 6.)? Ergo ex eo quod ad imaginem & similitudinem Dei homo conditus fuerit, merito concluditur mentem humanam, a primo creationis instanti, quibusdam ideis saltem *habitualibus* informari.

ARGUMENTUM III.

A congenito propriæ existentiæ sensu, invictoque felicitatis amore.

Ubi de essentia mentis humanæ sermonem habuimus, probatum fuit ad naturam hominis per-

pertinere intimum propriæ existentiæ sensum, cum invicto felicitatis appetitu conjunctum; quod autem ad naturam hominis pertinet, in omnibus & singulis hominibus existit, cum omnium & singulorum eadem sit natura; quod vero in omnibus & singulis hominibus viget, quod insuper nulli causæ externæ, v. g. sensuum impressionibus tribui potest, innatum est; alioquin mens humana per longum fortasse tempus quibusdam attributis ad naturam suam pertinentibus carere posset.

Et quidem Philosophus ipse Anglus prædictum felicitatis amorem inter eas propensiones recenset, quas natura mentibus nostris impressit. His autem verbis sententiam suam aperuit: *J'avouve que la nature a mis dans tous les hommes, l'envie d'être heureux & une forte aversion pour la misere; ce sont là des principes de pratique véritablement innés, & qui selon la destination de tout principe de pratique ont une influence continuelle sur toutes nos actions.* (Essai sur l'entendement humain, liv. 1. chap. 2. sect. 3.) Hinc manifeste sequitur mentem humanam in primis existentiæ suæ temporibus non esse *tabulam rasam* omni prorsus cogitatione vel *actuali* vel *habituali* destitutam; voluntas enim humana non potest felicitatem exoptare, quin intellectus eam confuse saltem & obscure cognoscat, cum ignoti nulla cupido esse possit. Mirum est igitur prædictum auctorem, loco superius laudato, principium dare, consequentiam denegare. Postquam enim quasdam voluntati propensiones congenitas esse confessus est, nullas in intellectu cogitationes innatas admittit. Sic enim sequitur: *Ce sont là des inclinations de notre âme vers le bien, & non pas des impressions de quelque vérité qui soit gravée dans notre entendement.* Quis autem voluntatis inclinationem sine aliquo amore, quis amorem sine ulla prorsus cognitione concipiat?

AR-

ARGUMENTUM IV.

Ab idea Dei.

Deus est Ens infinitum, omnique perfectionum genere cumulatum: atqui idea Entis infiniti summeque perfecti nobis ingenita est. Illa enim idea omnium mentibus insculpta est, quamvis deficiente attentione in multis consopita, quæ cum propensione quadam innata sic colligatur, ut una sejungi nequeat ab altera: atqui ita se habet idea Entis infiniti. Enim vero felicitatem, natura duce, inquirimus, non qualemcumque, sed numeris omnibus absolutam & nullum finem habituram: nemo enim sese beatum existimat, nisi in eo statu collocetur, in quo nihil amplius sperandum habeat, nihilque metuendum, ut ipsi confitentur adversarii: atqui hujusmodi felicitas sita esse non potest nisi in summo & immutabili bono, sive Deo; ergo humana mens bonum infinitum & immutabile naturali instinctu appetit; ergo illius boni, sive Dei, innatam habet notionem; nullum quippe desiderium, sine aliqua, saltem confusa, cognitione esse potest.

Præterea Dei, sive Entis infiniti idea vel innata est, vel adventitia, vel factitia: atqui duo posteriora dici nequeunt. 1. Quidem non est adventitia, sive sensuum ministerio comparata, cum ipsius objectum nulla sensibili qualitate vestiatur, quin imo supra sensus & imaginationem positum sit, ut superiori quæstione probavimus, 2. Notio Dei non est factitia. Nedum enim Dei, sive Entis infiniti idea ex rerum finitarum sensibiliumque notionibus conflari potuerit, contra rei cujuslibet finitæ, tanquam finitæ, notio præviam in nobis supponit infiniti cognitionem, ut probatum fuit in metaphysica generali, ubi de natura finiti & infiniti disputavimus; ergo, &c.

AR-

ARGUMENTUM V.

A Lege naturali.

Innatæ sunt ideæ, quibus fundantur primaria saltem legis naturalis principia. Illud enim mentibus nostris anticipata notione inscriptum est, quod omnes omnium ætatum, regionum & temporum homines, sine ullis magistrorum documentis, sine ullis conventionibus institutisve politicis sola verborum expositione intelligunt, unanimique consensu recipiunt: atqui res ita se habet de ideis quibus fundantur, v. g. propositiones sequentes: *Suum unicuique reddendum est: ... Fides in promissis servanda.* Hinc in hominibus omni prorsus lege politica solutis, hinc in ipsis puerulis lucentes ordinis, justitiæ, bonæ fidei notiones deprehendimus. Merito igitur auctor libri multoties in testimonium appellati, cui titulus est: *Essais de Métaphysique: Les regles primitives du bien & du mal, le discernement du juste & de l'injuste, les maximes du droit naturel, les premiers devoirs de la créature envers Dieu, envers soi-même, envers le prochain, ont été gravés dans le cœur de l'homme par l'Auteur de son être; il les porte au dedans de lui même; il ne peut pas plus s'en dépouiller, que s'anéantir. De-là les remords de la conscience, qui, quoiqu'en partie l'effet de l'éducation & de l'instruction, ont un fondement certain & un principe constant dans sa nature & dans le fond de son être; de-là l'impossibilité de l'ignorance invincible au moins des premiers principes du droit naturel; de-là* l'inexcusabilité, *s'il est permis de le dire, de la créature intelligente, lorsqu'elle n'accomplit pas la loi naturelle, & l'on peut dire de même, de-là toute l'économie de la Morale chrétienne. Dans le système des idées originaires des sens, tous ces principes perdent*

dent leur certitude, & cessent d'être invariables, invincibles & imprescriptibles. Ils n'ont d'autre appui & d'autre source que des idées factices, des conventions arbitraires, des connoissances qui n'étant pas nécessaires & attribuées à la nature de l'homme, à son état primordial & essentiel, ne sont que des accidens qui peuvent éprouver des variations suivant les temps, les pays, les circonstances. (Chap. 7. pag. 177.)

Omnium ergo mentibus naturaliter inscriptæ sunt boni & mali, justi & injusti notiones; ergo dantur ideæ innatæ.

ARGUMENTUM VI.

Ab aliis sensibus pariter innatis.

His sensibus, his notionibus innatis quas supra commemoravimus adjungi possunt, 1. naturalis commiserationis affectus, quo cujuslibet miseriis & doloribus commovemur, cuilibet misero vel periclitanti opem aut ferimus, aut ferre desideramus; 2. genuinæ virtuti intus conjuncta lætitia, velut futuræ mercedis anticipatio quædam; 3. vindices malæ conscientiæ terrores, quos experiuntur homines, etiam moribus perditissimi; 4. insitum quoddam a natura judicium veri in scientiis, pulchri in artibus. Illos, inquam, sensus dicimus naturales & innatos, quia in nobis sunt sine nobis, id est, omnem mentis *reflexionem*, omnem animi deliberationem antecedunt, nobisque coævi nobiscum adolescunt. Alioquin natura minus boni tribuisset homini, quam ceteris animantibus, quibus statim ab ortu quosdam infudit instinctus ad speciei & individui conservationem pertinentes. Vide opus, cui titulus est: *Traité de la nature de l'âme*. (Tom. 2.)

AR-

ARGUMENTUM VII.

Ex communibus Fidei Christianæ rudimentis circa peccatum originale, & effectus Baptismi in parvulis.

Mirum fortasse videbitur, & accuratæ methodi legibus contrarium, propositionem ex natura sua philosophicam theologicis argumentis stabiliri. Verum observent, si libeat, qui nos ea de causa carpere vellent. 1. hoc probationis genus adversus Philosophos Christiano nomine gloriantes adhiberi; jam vero non debet affirmare Philosophus vere Christianus, quod Theologus negare teneatur. Servanda est igitur regula quam proponit clarissimus Fenelon, in epistola de idea infiniti, his verbis modestos ipsius religiososque sensus ad vivum referentibus: *Je commence par m' arrêter tout court en matiere de Philosophie dès que je trouve une vérité de foi qui contredit quelque pensée philosophique que je suis tenté de suivre. Je préfere, sans hésiter, la raison de Dieu à la mienne, & le meilleur usage que je puisse faire de ma foible lumiere, est de la sacrifier à son autorité. Ainsi, sans m' écouter moi-même, j' écoute la seule revélation qui me vient par l' Eglise, & je nie tout ce qu' elle m' apprend a nier.* 2. Adversarii quos impugnamus contendunt peccatum originale in causa fuisse, cur mens humana in præsenti statu suas omnes cognitiones a sensibus, tanquam occasione, mutuaretur. Hoc disertis verbis asserit Condillac, *Essai sur l' origine des connoissances humaines.* (Sect. 1. chap. 1.) Quid igitur obstare potest quominus eorum exemplo sententiam nostram theologicis rationibus adstruamus? sic itaque eas proponimus.

Fide Catholica certum est 1. omnes & singulos homines nasci culpæ originalis reos, illudque pe-

peccatum meram non esse imputationem criminis Adami, sed unicuique nostrum proprium esse, ac proinde vere mentem afficere; 2. in cordibus etiam infantium concupiscentiæ reatum baptismate deleri, gratiamque & caritatem per Spiritum Sanctum infundi, sine quibus nulla esse potest justificatio: atqui hæc duo Fidei nostræ dogmata, quibus fundatur Christiana Religio, in sententia quam impugnamus consistere non possunt. Enim vero quid est peccatum, nisi amor creaturæ depravatus, & in corde saltem *habitualiter* dominans? quid est caritas, quid gratia sanctificans, nisi amor Dei super omnia per Spiritum sanctum in cordibus nostris diffusus? quis autem in *tabula rasa*, id est in facultate omni prorsus cogitatione & amore destituta, dominantem illum aut creaturæ aut Creatoris amorem agnoscat? neque dicant adversarii bonos aut malos habitus, quorum obscurissima est natura, nihil proficere ad explananda peccatum originale & effectus baptismi in parvulis; non enim altissima hæc Fidei nostræ dogmata tam explicare fert animus, quam illibata servare. Ea de re audiamus auctorem libri, cui titulus est: *Essai de Métaphysique*.

Que l'âme soit une table rase, qu'elle soit privée de toute idée & de tout sentiment, comment expliquer les ravages que le péché y a faits? le système de M. Loke a ce double caractere de réprobation, qu'en même temps qu'il défigure l'âme en la depouillant de tous le traits de grandeur qu'elle a dans sa nature, il fait aussi disparoître tous les maux que le péché lui a causés. La Foi nous apprend que le péché originel n'est pas une simple imputation du crime d'Adam: ce péché est réel dans l'âme des enfans, il affecte son être, il la rend injuste, ennemie de Dieu, enfant de colere, natura filii iræ. *Le Baptême, en effaçant le péché, ne remet pas simplement une dette purement étrangere; il opere*

dans

dans l'âme des effets réels, il y détruit le péché qui y subsistoit, il y produit la justice & la charité; il l'enrichit de biens, qui pour n'être ni apperçus ni sentis, n'en sont ni moins réels ni moins précieux. Le péché originel même effacé par le Baptême, laisse dans l'âme les suites les plus fâcheuses. Les plaies du péché ont attaqué toutes ses facultés, l'entendement est couvert des ténebres de l'ignorance, la volonté est penchée vers les objets de la terre, le libre arbitre est incliné & affoibli.

Où trouver dans une table rase les vestiges & les traces profondes de ces deplorables maladies? un esprit sans idées & sans desir peut-il porter dans son être un malheureux penchant pour le mal? la concupiscence n'est & ne peut être qu'une volonté mauvaise, un poids qui incline l'âme vers les créatures, qui y fait rechercher le souverain bien pour lequel elle a été faite. Que tout desir, que toute idée tire sa premiere origine des sens, qu'il n'y en ait aucune avant l'action des objets extérieurs, qu'il n'y ait rien d'inné dans l'âme, & qu'elle ne reçoive de la main de son Créateur qu'un être indéterminé & indefinissable, capable d'avoir les actes spirituels qu'elle n'a point, & sans aucun de ces actes qu'elle est capable d'avoir, que deviennent tous les objets de notre Foi sur le péché originel & ses suites, sur les effets du Baptême dans les enfans, sur la fin & la destinée de l'homme, sur sa grandeur & sa bassesse, sur la réalité de ses maux & sur les remedes qui lui sont nécessaires, en un mot, sur toute l'économie de la Religion? Ergo in sententia quam impugnamus penitus evanescit Ecclesiæ Catholicæ doctrina circa peccatum originale & effectus Baptismi in parvulis.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Si menti humanæ inessent ideæ innatæ,

tæ, semper de illis cogitaret, aut saltem earum sensum haberet constantem & perseverantem; nam idea, sive perceptio quælibet, est affectio mentis intima; affectio mentis intima est ipsi præsens, ac proinde eam latere non potest; affectio quæ animam latere nequit, non potest sui conscientiam non excitare. Et vero idea, cujus mens nullo modo conscia est, proinde se habet respectu mentis, ac si revera non existeret. *Soutenir*, inquit Lockius, *qu'une chose est dans l'entendement, & qu'elle n'est pas conçue par l'entendement; qu'elle est dans l'esprit sans que l'esprit l'apperçoive, c'est autant que si l'on disoit qu'une chose est & n'est pas dans l'esprit ou dans l'entendement.* (*Liv.* 1. *ch.* 1. *parag.* 5.)

Atqui tamen experientia quotidiana certissimum est mentem humanam non semper cogitare de ideis quas Cartesiani vocant innatas, v. g. Dei, justi & injusti; ergo non dantur, &c.

Resp. Neg. maj. Nos etiamsi concederemus cuilibet ideæ adjunctum esse intimum sui sensum, quod tamen a quibusdam Cartesianis negatur, nec expendere nobis animus est, immerito concluderent adversarii nullam ideam in mente nostra sedem habere, quin mens eam *actuali reflexione* contempletur; siquidem sensus intimus ideæ comes, tam remissus tamque debilis esse potest, ut nullam fere impressionem excitet, nullam sui recordationem generet. Illud autem contingit, vel quia nondum attentionis & *reflexionis* usum habemus, ut in prima infantia; vel quia mens diversis plane cogitationibus tota distrahitur; cum enim finita sit ipsius capacitas, quibusdam rebus vehementer affici non potest, quin ceterarum sensus minuatur, ac pene deleatur: *Je pense*, inquit Condillac, cujus testimonium recusari non potest, *je pense que nous avons toujours conscience des impressions qui se font dans l'âme, mais quelquefois, d'une maniere si légere, qu'un moment après nous nous n'en souvenons pas.* Deinde

de assertionem suam confirmat experimento familiari & omnibus notissimo: *Qu' on réflechisse sur soi-même au sortir d'une lecture, il semblera qu' on n' a eu conscience que des idées qu' elle a fait naître. Il ne paroîtra pas qu' on en ait eu davantage de chaque lettre, que de celle des ténèbres, à chaque fois qu' on bassoit involontairement la paupiere: mais on ne se laissera pas tromper pars cette apparence, si l' on fait réflexion que sans la conscience de la perception des lettres, on n' en auroit point eu de celle des mots, ni par conséquent des idées.* (*Essai sur l'origine des Connoissances humaines*, 1. *Par. pag.* 28.)

Ex his omnibus concludere licet quasdam ideas in mente residere posse, quamvis de ipsis *actu* non cogitemus. Quod autem probatum est de ideis *actualibus* multo magis intelligi debet de perceptionibus innatis, quas ad naturam habituum accedere diximus.

Inst. prob. maj. Illæ ideæ non sunt admittendæ, quæ manifestam contradictionem involvunt: atqui ideæ de quibus mens non cogitat, ideæ quarum conscientiam non habet, nisi fortasse levissimam, sunt aliquid manifeste contradictorium; siquidem existunt in mente simul & non existunt; existunt quidem ex hypothesi, non existunt autem quia non percipiuntur; ergo hujusmodi ideæ non sunt admittendæ.

Resp. Neg. min. Fateor equidem obscurissimam esse, ingeniique nostri conatibus imperviam hujusmodi idearum naturam, illudque Cartesiani libentissime confitentur. Quis enim concipiat quomodo mens se habeat respectu idearum, quarum aut nullam habet conscientiam aut levissimam? eas tamen existere indubitata probant experimenta; enim vero, ut egregie observat auctor libri multoties laudati, si mens nihil cognitionis possideat, nisi quod actu percipit & contemplatur, multa evidenter absurda consequentur. 1. Mens Geometriæ doctissimi, in rebus fortasse nugatoriis de-

detenta, minus scientiæ sibi vindicare potest, quam mens discipuli eodem tempore problematis alicujus solutionem inquirentis; 2. objectum quod *actu* mentem afficit, totam ipsius capacitatem impleat necesse est in sententia quam impugnamus, ac proinde nulla remanebit potestas ad oppositum sive libertas; 3. cogitationes præteritæ quæ *actuali reflexione* non percipiuntur, in cogitatione præsentes nullo modo influent; ideoque remotis principiorum generalium conclusionibus nemo assentiri poterit, quin una eademque perceptione præmissas omnes & singulas intueatur; quod quidem ingenii vel maxime ad meditandum exercitati vires superat. 4. Nemini constabit mentem suam hodiernam eamdem esse quæ fuerat hesterna, cum in opinione adversariorum, attentione deficiente, notiones prius conceptæ penitus evanescant, nullusque remaneat cogitationum fundus nunquam deficiens. (*Essai de Métaphysique*, *pag.* 190.) Ergo ratione & experientia judice, quædam sunt in mente cogitationes aut nullo modo, aut levissime perceptæ, ac proinde manifestam, &c.

Objic. 2. Ideæ innatæ, si quæ essent, in omnibus & singulis hominibus vigerent, cum juxta Cartesianos, ad integritatem humanæ naturæ pertineant: atqui nullo experimento demonstrari potest quasdam ideas esse 1. in hominibus altissimo somno dormientibus, 2. in infantibus, 3. in hominibus vel mente captis, vel gravi lethargo pressis; imo potius experientia docet, aut saltem suadet a prædictis statibus omnem abesse cogitationem ,, v. g. quando mens a vigilia ad somnum ,, lentissimis decrementis perducitur, idem experiri videtur quod cernimus in motu rapidissimo, per varios gradus ita paulatim imminuto, ut tandem plane desinat, corpusque in perfecta quiete remaneat. Sic mens vividissimis ,, primum ideis occupata sensim attentionem relaxat, ideas prætervolantes fere negligit ac specta-

„ ctare dedignatur; deinde confusa omnia appa„ rent, adeoque leviter animus iis afficitur, ut „ vix percipiat, donec torpedine quadam velut „ oppressus, ne leviter quidem quidquam ani„ madvertat. Tunc demum prædućta somni cor„ tina (*rideau*) omnia idearum spectacula men„ ti intercipit ". Ita Le Clerc. (*Pneumat. Sect.* 1. *pag.* 13.) Ergo ideæ quæ dicuntur innatæ non remanent in omnibus vitæ circumstantiis.

Resp. Neg. min. Experientia quidem suadet plerosque homines in objectione commemoratos, nullam habere cogitationem *reflexam*, donec rationis usum aut acceperint aut recuperaverint. Verum unde probant, unde compertum habent adversarii, iisdem hominibus nullas inesse cogitationes sive *directas* sive *habituales*, sive ad naturam habituum accedentes? 1. Quidem ubi agebatur de perpetua mentis cogitatione experimentis notissimis ostendimus, altissimo somno dormientes non esse omnis plane cogitationis expertes. Res enim memoriter discendas animo secum revolvunt, carmina condunt, orationes componunt, imo interdum surgunt e lecto dormientes, scribunt, delent, emendant, omnesque istas actiones exequuntur tam apposite, quam si vigilarent: (*Vide articul.* SOMNAMBULE *in Diction. Encycl.*) atqui tamen eorum quæ per noctem cogitaverunt minime recordantur: ergo 1. nulla sufficienti ratione probatur graviter dormientes cujuslibet cogitationis expertes esse. 2. Infantes, mente capti, gravi lethargo constricti, nihilominus sunt homines; eadem ergo natura præditi sunt, qua ceteri homines; argumento igitur ab analogia ducto saltem in ipsis agnoscenda sunt prima cogitationis elementa, scilicet obscurus propriæ existentiæ sensus, cui accedit invictus felicitatis amor, nisi fortasse malint adversarii ipsis affingere naturam a nostra plane diversam, quæ neque humana sit, neque belluina. Huic autem opinioni probabilitatis speciem præbere cona-

na-

natur Lockius, ubi de quibusdam insanis & mente captis sermonem habet. (*Lib.* 4. *ch.* 4.)

Inst. prob. min. præsertim de infantibus. Si vigerent in infantibus ideæ Dei, primorumque legis naturalis officiorum, saltem cum adolevissent, harum idearum signa sponte manifestarent, nullisque indigerent parentum & magistrorum auxiliis, siquidem ipsis inest ingenuus fucique nescius candor, eorumque animos nondum vitiarunt opiniones præjudicatæ: atqui nedum res ita se habeat, imo potius nonnisi crebris adhortationibus, minis, castigationibus ad cognitionem Dei suorumque officiorum adducuntur: ergo temere supponunt Cartesiani has ideas etiam in infantibus vigere.

Resp. Neg. maj. Profitentur enim Cartesiani, Religione & experientia teste, mentes infantium, licet quibusdam ideis naturalibus instructas, tamen ita sensibus immersas esse, ut plerumque sine magnis laboribus, evolutam accuratamque rerum, præsertim spiritualium, cognitionem acquirere non possint. Enim vero propter organorum debilitatem atque imbecillitatem, in eo statu versantur, in quo difficile ideas suas fixo perseverantique contemplentur intuitu, & difficilius secum invicem conferant, in verique cognitione proficiant; quamvis tamen nonnulla proferantur rationis & ingenii specimina teneris ab adolescentibus edita, quæ prodigiorum speciem referre videantur. Illæ igitur notiones, quas in infantibus admittimus, sunt *veluti scintillæ sub cinere sopitæ, lapsu temporis excitandæ*. Jam vero scintilla ejusdem naturæ est ac ignis excitandus; ergo etiam in infantibus admittendæ sunt notiones quædam, confusæ saltem & obscuræ, suis temporibus evolvendæ, sive notiones de quibus actu non cogitant, quamvis reipsa in ipsorum mente sedem habeant. Merito igitur D'Aguesseau Philosophum Anglum ipsius principiis impugnat: *M. Locke voudroit il soutenir que le*

 de-

desir d'être heureux soit toujours actuellement apperçu ou senti par tous les enfans, par tous les insensés, par tous ceux qui dorment? c'est cependant, selon lui, une disposition véritablement innée; donc, selon lui-même, il est très-possible, ou plutôt il est vrai qu'un sentiment peut être inné, quoiqu'il ne soit pas toujours présent à notre âme (Méditations métaphysiques, pag. 222.).

Inst. prob. maj. Istæ notiones ob attentionis defectum consopitæ, non majoris sunt utilitatis, quam mera cogitandi facultas a Lockianis admissa: ergo, &c.

Resp. Neg. ant. Notiones enim de quibus agitur sunt veluti quædam doctrinæ semina, quæ primum altius in mente recondita, deinceps aut vitæ civilis commercio, aut parentum & magistrorum documentis, evolvuntur, perficiuntur, ad maturitatemque deveniunt. Facultas vero cogitandi, qualem supponunt Lockiani, nullo attributo *reali* & *positivo* fundatur, sed mera est potentia alicujus attributi decursu temporis recipiendi. Non immerito igitur clarissimus D'Aguesseau: *Demander à quoi servent les connoissances innées, c'est demander à quoi servent les pierres fondamentales d'un édifice, dont l'architecte connoît seul tout le prix, pendant que les ignorans n'admirent que l'élévation & le faîte du bâtiment, parce que, comme dit Quintilien*, fundamenta latent, fastigia spectantur: *posez ce fondement, notre raison s'éleve jusqu'aux sciences les plus sublimes; ôtez ce fondement, notre raison retombe dans le vuide, &, pour mieux dire, dans le néant, où elle ne trouve plus rien qui puisse être la base & le soutien de toutes ses opérations.* (*Ibid. pag.* 241.)

Inst. Cur ideæ quas dicimus innatas, soloque attentionis & reflexionis defectu consopitas, cum primum affulgent, videntur novæ & antea incognitæ? hanc enim novitatem experimento suo testan-

stantur homines, imprimisque adolescentes, quibuscum de rebus spiritualibus sermonem habemus; dum contra iisdem maxime familiares sunt, ac velut amicæ objectorum sensibilium notiones.

Resp. Neg. suppositum: quando enim in metaphysicis, & præsertim moralibus, magistrorum documentis veritatem lucentem agnoscunt aut adolescentes, aut alii homines educatione nondum exculti, ea ratione afficiuntur, ut potius reminisci, quam discere videantur; istæ igitur veritates respectu ipsorum non tam novæ sunt, quam ex intimis eorum animæ penetralibus in apertiorem lucem editæ. Hinc discipulorum conscientia docenti exterius magistro intus respondet: *Verum est quod dicis*, quasi gratularentur sibi quod latentes in semetipsis divitias tandem aliquando detexerint. Contra vero res historicæ aut aliæ, quarum cognitio ex primis rationis humanæ principiis non derivatur, soliusque testimonii vel divini vel humani præsidio intellectum subire solet, non tam evidentia mentem illustrant, quam novitate admirationem movent. Hinc natum est illud axioma omnibus notissimum: *Nemo facta vaticinari potest*. Quid plura? aut experientiæ sensusque intimi spernenda est auctoritas, aut confitendum utrumque cognitionis genus diversa plane ratione mentem afficere. Hinc D'Aguesseau: *M. Locke voudroit-il soutenir qu'on trouve des hommes qui soient surpris d'apprendre qu'ils existent, qu'ils sentent en eux-mêmes tout ce qui s'y passe, qu'ils sont libres, qu'ils croient certainement ce qu'ils voient évidemment, qu'ils s'aiment eux-mêmes, & qu'il leur est permis de se défendre en repoussant la force par la force? y a-t-il quelqu'un, encore une fois, à qui ces vérités paroissent nouvelles, quoique peut-être il n'en eût jamais entendu parler?* (*Ibid. pag.* 116.) Ita celeberrimus Auctor, & quidem merito: omnes enim istæ notiones aut innatæ sunt, aut

ex

ex ideis innatis immediate & proxime derivantur.

Obj. 3. Si existerent ideæ innatæ, essent prorsus indelebiles, cum supponerentur ipsa Creatoris manu mentibus nostris inscriptæ: atqui contrarium experientia testatur; nam idea Dei, mentis, officiorum moralium, aut nunquam exstiterunt, aut omnino deletæ sunt in illis hominibus omni prorsus lege & disciplina solutis, qui in silvis pecudum more vivunt, solis rebus corporeis intenti. Enim vero quidam inter eos, deposita prioris vitæ feriate, deinde Christianæ Religionis documentis imbuti, a Theologisque interrogati, quid in priore vita cogitarent, responderunt se nihil omnino aut divinum aut incorporeum animo sibi finxisse, sed in sola vitæ animalis conservatione fuisse occupatos.

Idem responsum edidit juvenis quidam Carnutensis (*de Chartes*) ab ortu surdus & mutus, qui viginti & tres annos natus, repente & improviso quodam eventu locutionis usum recuperavit; postquam enim linguam maternam didicit, ingenue & aperte confessus est se, antequam magistrorum documentis informaretur, nihil nisi corporeum & animale cogitasse, quamvis a parentibus catholicis natus, eorum exemplo quibusdam Religionis officiis fungeretur, v. g. signum Crucis effingeret, Missæ sacrificio divinisque Officiis interesset. (*Mém. de l'Acad. des Sciences*, 1703. *pag.* 18.)

Resp. Neg. min. Nam ideæ de quibus agitur possunt quidem, attentione & reflexione deficientibus, aut nullo modo evolvi, aut admodum debilitari; possunt præjudiciis obscurari, cupiditatibus deformari; quod quidem non solum in barbaris hominibus, sed etiam fausta educatione primum excultis, interdum contingere communis experientia testatur. Verum prædictæ notiones nunquam ex animis penitus delentur; fatentibus enim adversariis, homines, quorum exempla

pla proponunt, non obstante prioris vitæ feritate, ad cognitionem Dei præcipuorumque legis naturalis officiorum, melioris institutionis ope fuerunt perducti: illud autem fieri non potuit sine quibusdam ideis in eorum mente prius existentibus. Enim vero ubi has notiones invenissent? in contemplatione rerum sensibilium? sed nihil exhibent nisi sensuum captui accommodatum; in mente sua? supponitur *tabula rasa*, in qua nihil inscriptum est, nihil delineatum; in ipsis magistrorum documentis? aures quidem discipulorum commovere possunt, minime vero mentem afficere. Itaque ubi agitur de iis cognitionibus, quæ ex primis rationis humanæ principiis derivantur, nihil aliud præstare possunt magistri, nisi ut discipulorum attentionem juvent, reflexionem promoveant. Jam vero inutilis est, imo impossibilis reflexio, ubi nulla est ipsius materia.

Neque dicant adversarii prædictos homines rerum historicarum, ad vitamque civilem pertinentium, imo Christianæ Doctrinæ cognitionem, iisdem docentibus magistris, fuisse consecutos, quarum profecto rerum ideas innatas nemo dixerit. Nam 1. res historicas ad vitamque civilem spectantes, sive ex sensuum relationibus, sive ex hominum testimoniis ediscere potuerunt; 2. posita semel Dei legisque naturalis prævia notione, possunt homines ad Christianam Fidem adduci. Verum ipsa Dei legisque naturalis cognitio, nullum aliud fundamentum, cui superponatur, agnoscit. Necesse est igitur ut ab ipsa natura, vel potius ab ipso naturæ Conditore, insita fuerit. Hac potissimum ratione secernuntur ideæ naturales sive innatæ ab iis quæ adventitiæ sunt aut factitiæ.

Obj. 4. Ideæ innatæ, si quæ existerent, deberent esse uniformes & eædem in omnibus: atqui nullæ dantur ideæ uniformes eædem in omnibus; nemo enim ignorat quanta fuerit inter varios terrarum populos, tum in Religionis negotio, tum

in moribus & vita civili, opinionum & institutorum discrepantia; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Ideæ, quas dicimus innatas, imprimis ideæ Dei primorumque legis naturalis officiorum eædem sunt; ex suaque natura uniformes in omnibus hominibus; ita ut si frænum sensibus & imaginationi injiciatur, si præjudicia deponantur, si cupiditates coerceantur, uno verbo, si tollantur cujuscumque generis obices, eadem principia naturalia, etiam in barbaris hominibus reviviscant, ut quorumdam felix experientia testatur.

Et quidem 1. omnes in mente habent ideam supremi Numinis, cujus natura sit omnium optima & præstantissima. Hanc veritatem agnoverunt, inter Veteres, ipsi quoque Epicurei, quamvis Providentiam divinam impugnarent, eaque de causa inter Atheos merito recenserentur. Hinc Vellejus apud Tullium declarat, ex ipsis Epicuri documentis Deorum notionem omnium animis a natura impressam esse. „ Quæ est gens, inquit, „ aut quod genus hominum, quod non habeat sine „ doctrina quamdam anticipationem Deorum? ... „ cum enim non instituto aliquo, aut more, „ aut lege sit opinio constituta, maneatque ad „ unum firma consensio, intelligi necesse est esse „ Deos, quoniam insitas eorum, vel potius in„ natas cognitiones habemus, " (*Lib.* 1. *de natura Deorum n.* 16. & 17.) Neque objiciant adversarii Deum in sententia Epicureorum neque unum esse, neque rebus humanis providentem. Nam 1. Philosophi prædicti confitentur Dei nomine intelligendum esse illud, quo nihil majus aut perfectius excogitari potest; ex hoc autem principio, cetera quæ ad naturam divinam, judice ratione, pertinent, attentione data facile deteguntur.

1. Detur mihi populus, inquiebat Civis Genevensis, cujus testimonium ab adversariis recusari non potest, apud quem crimini deputetur fidem

dem in promissis servare, clementem esse, beneficum, generosum. Talem responsionem ipsi quoque afferunt adversarii, ubi existere Deum legemque naturalem probant contra Atheos, Materialistas, Spinosæ Hobbiique sectatores, & ceteros principiorum naturalium impugnatores.

Objic. 5. Si darentur ideæ innatæ, 1. certo posset assignari earum numerus: 2. ab ideis adventitiis aut factitiis facile discernerentur: atqui in utroque capite valde dissentiunt Cartesiani; ergo, &c.

Resp. 1. Neg. maj. Dantur enim propositiones evidentes, seu per se notæ, fatentibus adversariis: atqui tamen difficillimum est earum numerum definire, neque omnium judicio evidentes sunt eædem propositiones. Pariter, juxta Lockianos, quædam ideæ sunt adventitiæ, quædam & factitiæ; quis tamen eas omnes accurate recensere, & a se invicem secernere valeat?

Resp. 2. Neg. min. Nullus enim, quem noverim, Cartesianus, ideas quas in probatione tanquam innatas allegavimus, ex albo notionum innatarum delevit. Prædictæ autem notiones ab aliis triplici potissimum ratione secernuntur; quod scilicet ab ipso Deo concessæ fuerint, tanquam dona quæ ad nostræ naturæ integritatem pertinent; quod nulli causæ externæ deputari possint; quod cum purissimis rationis humanæ luminibus quamdam habeant affinitatem, ac proinde ab omnibus ad seipsos redeuntibus facillime percipiantur, unanimique consensu admittantur.

Itaque 1. innatæ non sunt ideæ, quibus fundatur ista propositio: *Dulce ab amaro differt*, aliæque similes, siquidem manifestam ex sensibus originem ducunt, si tamen mere sensationes, quæ nihil in objectis suis repræsentant, idearum nomine donandæ sint. 2. Notionibus innatis annumerari possunt prima Matheseos elementa, quæ supra dictos characteres præ se ferunt: neque adeo infinitum prope idearum innatarum nume-

merum admittimus; nam eo fœcundiora sunt disciplinarum omnium principia, quo simpliciora.

Obj. 6. Qui primaria morum præcepta defendunt omnibus innata, infantes & puerulos nulla prorsus obligatione constrictos esse fatentur: atqui si nobis congenita esset morum regula, ab ipsa ne infantes quidem liberari possent; per legem ergo naturalem intelligi non debet lex ita nobis nascentibus insculpta, ut ipsius principiorum notiones in mente nostra exaratas statim ab ortu geramus; sed intelligenda est lex quæ omnibus facile innotescit, si facultatibus naturalibus, seu ratione sua, ut par est, utantur. Principia morum naturalia eo sensu accepta libenter admittunt Lockiani.

Resp. Neg. min. Non enim infantes & parvuli ideo sunt quorumlibet officiorum, saltem coram hominibus, expertes, quia nullas habent naturales sibique congenitas boni & mali, justi & injusti notiones; sed quia libertatem suam deliberatis actibus exercere non possunt, cum eorum mens organis debilioribus impedita, neque attentioni neque reflexioni idonea sit. Enim vero quid est ipsa ratio naturalis, nisi quoddam lumen omnibus inditum, quo verum a falso, justum ab injusto secernere valeamus? quomodo autem, attentione data, alterum ab altero secernemus, nisi prævias quasdam utriusque notiones habeamus, debiles quidem, sed tamen in mente vere existentes? merito igitur Cartesiani ad litteram accipiunt hanc legis naturalis descriptionem a Tullio propositam, ubi de sui ipsius defensione agebat, omniumque usu & approbatione consecratam? „ Est hæc non scripta, sed nata lex, „ quam non didicimus; accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non „ instituti, sed imbuti sumus. " (*Pro Milone*.)

Obj. 7. Ideæ veri & falsi non sunt innatæ. Tunc enim

enim puer veri & falsi notionem sibi fingit, quando sese deceptum agnovit.

Resp. Neg. ant. ejusque prob. Ideo enim puer sese deceptum agnoscit, quia verum, cujus ideam habet, deesse animadvertit. Omnes, natura duce, verum amant, falsum aversantur. Homo, si deceptus fuerit, graves effundit querelas: si deceptor, vindices conscientiæ stimulos experitur. Puer cui pro crustulis lapilli porriguntur, lapillos rejicit indignabundus: ideam veri accipit a natura, crustulorum a sensibus. Idem, si mendacio culpam a se commissam tegere velit, sibi violentiam infert, a parente vel præceptore oculato facile detegendam. Inest igitur omnibus naturalis quædam ad verum propensio, quæ sine aliqua ejusdem cogitatione esse non potest; ergo, &c.

CAPUT V.

De Mentis humanæ destinatione.

Mentem humanam esse corpori intime conjunctam, quotidiano comprobatur experimento; unde sequitur eam corpori informando esse destinatam. Non minus etiam constat animam, dissoluto corpore, superstitem manere, ad vitamque alteram destinari. Idcirco præsentis argumenti tractationem duos in articulos dividimus. In priori de mentis cum corpore conjunctione; in posteriori de animæ, post corporis dissolutionem, ad vitam æternam destinatione disputabitur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Mentis humanæ cum corpore conjunctione.

Multiplex est in rerum natura conjunctionis species, alia nimirum *physica*, qualis est inter duo corpora, quæ sese immediate contingunt; alia *moralis*, quam generat morum & propensionum similitudo, qualis inter amicos intercedit; in animæ vero & corporis conjunctione, cujus sibi quisque conscius est, agnoscendum est aliquid magis intimum. Dicitur itaque *substantialis*, quia est duarum substantiarum, quæ in unam eamdemque naturam, nempe humanam, coeunt, copulatio. Agendum nobis est 1. de illius natura; 2. de ejus effectibus, sive consectariis.

PARAGRAPHUS I.

De natura conjunctionis animæ cum corpore.

In quo sita sit mirabilis illa animæ & corporis societas, & quibus nitatur legibus, mutuum illud utriusque substantiæ adeo disparis commercium ut explicarent, Philosophi varias excogitarunt opiniones; sed priusquam exponantur, quædam sunt observanda.

Observatio I. Nervi, velut totidem ramuli, in omnes corporis partes expanduntur. Cum musculis communicant, quorum contractione perficiuntur variæ membrorum nostrorum flexiones. A musculis, sicut a qualibet corporis extremitate, nervorum fibræ confluunt ad cerebrum. In puncto coitus, quod *sensorium* appellari solet, suam veluti sedem habet anima. Inde famulantibus nervorum motibus toti suo corpori dominatur. Quemadmodum aranea in telæ suæ centro con-

constituta, filorum successione admonetur, & sentit ubinam præda filorum velut laqueis irretita teneatur; sic anima in præfata cerebri parte excubans, ex nervorum commotione agnoscit, quæ corporis sui pars læsa fuerit, indeque suo corpori prospicit.

Verum duplici modo fieri potest hæc nervorum agitatio.

1. Si moveantur per tensionem & successionem, sicut funis cannabinus tendi succutique non potest in aliqua extremitate, quin ad aliam usque actio hæc propagetur. Quin in hypothesi anima erit instar aurigæ, quadrigas suas per variam habenarum tensionem & flexionem dirigentis.

2. Vel moveri possunt nervi ope spirituum animalium, qui sanguinis pars sunt tenuissima & mobilissima; quique a centro ad extremas corporis partes & vicissim discurrunt. Nervorum scilicet fibræ sunt quasi totidem tubuli concavi. Quo quidem posito, si anima pedem, v. g. movere velit, spiritus animales a *sensorio* ad musculum movendo pedi destinatum immittit per nervorum canaliculos. Ii vero spiritus animæ imperio dociles, musculum subeunt eumque tumefaciunt, ut spongiam aqua. Musculus intumescendo, quantum latitudinis accipit, tantum longitudinis deperdit, proinde contrahitur, & pedem sibi annexum movet ac inflectit. In ea hypothesi erit anima quasi regina potens, quæ ministros suos ad imperii sui extrema modo mittit, & modo reduces excipit.

Malebranchius de *inquisitione veritatis* (*lib.* 2. *cap.* 5.) confitetur non esse probe demonstratum utra hypothesis in corpore humano locum habeat? Attamen spirituum animalium ministerium simplici tensioni anteponit. 1. Quia si quis ab alimentis diu abstinuerit, vix potest sua movere membra, eructasque pedibus consistere. Si vero liquorem quempiam spiritibus abundantem, vinum v. g. hauriat, jam mobilitatem & obse-

quium

quium recuperat corpus: atqui hujus discriminis ratio est, quod in priori casu deficiant spiritus animales, in posteriori autem affluant. 2. Intumescere musculos, cum nostra agitantur membra, vel ipse oculus testis est; ergo sicut non inflatur folliculus nisi propter intromissum aerem, ita probabile est musculos intumescere propter materiæ cujuspiam alienæ accessionem, nempe spirituum animalium.

Observatio II. Quando motus alicui corporis parti exteriori impressus ita fuit levis & remissus, ut non potuerit ad cerebrum usque transmitti, tunc nulla in mente excitatur cogitatio, vel *sensatio*. Contra vero, si pars nervi cerebro respondens, eodem impellatur modo, ac si partes corporis externæ fuissent commotæ, tunc mens eamdem experitur sensationem, ac si revera partes illæ corporis fuissent agitatæ.

His præmissis, exponendæ sunt variæ Philosophorum opiniones, circa naturam conjunctionis animæ cum corpore, & quid de illis sentiendum sit aperiemus.

SYSTEMA *influxus physici*.

Sunt qui velint animam in corpus, & corpus in animam physice & immediate agere. Ita, inquiunt, mens a corpore, & corpus a mente pendet; tanta celeritate ad mentis imperium movetur corpus, & mens afficitur motibus qui in corpore peraguntur, ut fieri illud nequeat sine immediata quadam unius substantiæ in alteram actione, quam vocant *influxum physicum*.

PRO-

PROPOSITIO.

Rejiciendum est systema influxus physici.

Prob. Illud systema rejiciendum est, quod conciliari non potest cum demonstrata mentis simplicitate: atqui systema *influxus physici* non, &c. Mens enim, utpote simplex, & partium omnino expers, nec tangere potest, nec tangi, juxta illud Lucretii effatum: *tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res*: atqui tamen influxus physicus animæ in corpus, & vicissim, fieri non potest, sine utriusque substantiæ contactu. Vel quippe voces illæ, *influxus physicus*, sunt omni sensu vacuæ; vel designant actionem quæ fit motus communicatione, qualis concipitur inter duo corpora, quorum unum in aliud incurrit: atqui illa motus communicatio postulat utriusque substantiæ contactum; ergo sine eo stare non potest influxus physicus mentis in corpus, & corporis in mentem; ergo cum mentis simplicitate conciliari nequit, ideoque rejiciendus est.

SYSTEMA harmoniæ præstitutæ.

Circa mentis & corporis conjunctionem novum systema suo e cerebro extudit Leibnitzius, & primitus edidit in Diario eruditorum anno 1695. mensibus junio & julio, sub hocce titulo: *Nouveau systême sur la communication de substances, & l'union de l'âme & du corps*. Juxta Leibnitzium, anima & corpus duo sunt automata, sed diversi generis; alterum nempe spiritale, alterum vero materiale. Ea est autem præcipua automati ratio, quod ejus status præsens, ex præcedentibus, juxta quasdam leges, semper consequatur. Sic in horologio præsens acus in-

di-

dicis positio ex præcedente sequitur. Jam vero, inquit auctor, Deus in omnibus animis vidit quænam affectionum & cogitationum series ex eo statu sequeretur, in quo primum eos crearet: vidit & in corporibus humanis quinam motus nascerentur ex primo statu, in quo ea conderet. Denique mentem & corpus sic constituit, ut diversæ mentis cogitationes diversis corporis motibus responderent, & variis corporis motus variis animæ cogitationibus consonarent. Quædam igitur harmonia intercedit inter mentis & corporis affectiones, qualis esset inter duo horologia, quæ eosdem motus iisdem temporibus perficerent.

Comparationem hanc Leibnitzius ipse sic adhibet in historia operum eruditorum an. 1696. pag. 225.: *Figurez vous deux horloges, ou deux montres qui s'accordent parfaitement .... & qui seroient fabriquées avec tant d'art & de justesse, qu'on se puisse assurer de leur accord dans la suite. Mettez maintenant l'âme & le corps à la place de ces deux pendules .... Dieu a fait dès le commencement chacune de ces deux substances de telle nature, qu'en ne suivant que les propres loix qu'elle a reçues avec son être, elle s'accorde pourtant avec l'autre, tout comme s'il y avoit une influence mutuelle, ou comme si Dieu y mettoit toujours la main... Après cela je n'ais pas besoin de rien prouver, à moins qu'on ne veuile exiger que je prouve que Dieu est assez habile pour se servir de cet artifice prevenant: or, supposé qu'il le puisse, vous voyez bien que cette voie est la plus belle & la plus digne de lui.*

Itaque 1. juxta Leibnitzium, corpus humanum est automatum, a supremo artifice ita constructum, ut absque ullo novo tum Dei, tum creaturæ cujusvis influxu, sed ex sola partium interna dispositione, perpetuam subeat mutationum seriem, statibus alicujus animæ, ex qua tamen nullo modo pendet, accurate congruentem.

2.

2. Mens humana est automatum spiritale, quod propter suam constitutionem propriam, & citra quamlibet aliam causam externam, variis *sensationibus* & ideis afficitur, quæ cum motibus corporis jugem servant analogiam; adeo ut agant corpora, quasi nullæ essent animæ, & pariter agant animæ, quasi nulla forent corpora, rem sic præstituente Deo. *L'âme de Virgile*, inquit Leibnitzius, *produisoit l'Enéide, & sa main écrivoit le même poëme, sans que sa main obéit en aucune façon à l'intention de l'auteur; mais Dieu avoit réglé de tout temps que l'âme de Virgile feroit des vers, & qu'une main attachée au corps de Virgile, les mettroit par écrit.*

PROPOSITIO.

Rejicienda est Leibnitzii sententia mox exposita.

Prob. Ex variis incommodis, quibus laborat præfatum systema. 1. Si Deus, cognitis motibus, quos propriæ constitutionis virtute corpus erat executurum, mentem formaverit quæ analogas mutationes constanter subiret, de libertate humana conclamatum est. Tunc enim mens non posset pro arbitrio hoc vel illud velle; sed teneretur suam voluntatem corporis dispositioni accommodare: atqui id libertatem omnino perimit. Illud sensit Jacquelot. Idcirco respondet Deum, prævisis animarum a se conditarum actibus liberis, corpora nostra formasse tanquam machinas, quarum motus voluntatis determinationibus attemperavit. Vide librum, cui titulus: *Accords de la foi avec la raison.* (*pag.* 587.) Atqui illud posterius dici non potest. Si enim res ita se haberet, quoties mens expeteret ut corpus moveretur, toties huic desiderio responderet corporis motus; atqui res aliter sæpius contingit. In paralyticis, v. g. nonne vehemens inest corporis mo-

movendi desiderium? atqui tamen votum illud suo fraudatur effectu.

2. In systemate Leibnitzii hominum vita ludibrium esset perpetuum, Deusque nos ita constituisset, ut in errore necessario & constanti versaremur. Nullus enim est, qui ineluctabili propensione non impellatur ad judicandum, quosdam corporis sui motus à voluntatis arbitrio pendere, & quasdam animi affectiones & sensationes, famis, v. g. & sitis ex corporis motibus sequi; atqui tamen in opinione Leibnitzii hæc judicia essent penitus falsa.

3. Supponit Leibnitzius mentes humanas ita fuisse a Deo comparatas, ut præsentes earum affectiones ex præcedentibus necessario deducantur: atqui illud experientiæ quotidianæ adversatur. In plurimis enim vitæ circumstantiis, ita variantur mentis cogitationes & voluntatis determinationes, ut subsequentes præcedentibus opponi videantur, nedum cum iis aliquam habeant connexionem. Hinc Horatius ad humanam inconstantiam alludens,

Quod petiit, spernit; repetit quod nuper omisit;
Æstuat, & vitæ disconvenit ordine toto;
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.
(Ep. 1. Lib. 1.)

4. Ex omnium consensu, talis est animæ & corporis conjunctio, ut ex utraque illa substantia unicum exsurgat *suppositum*, sive *persona*: atqui id stare non potest cum harmonia quæ fingitur a Leibnitzio. Quis enim, nisi plane desipiat, existimet ex luna & horologio conflari unicum quoddam *suppositum*, si horologium omnes lunæ motus, varietates, conversiones accurate exprimat & imitetur?

SYSTEMA Mediatoris Plastici.

Notandum *naturæ plasticæ* nomine a quibusdam intelligi substantiam simplicem & activam, sen-

sensatione & intelligentia destitutam, cujus functio sit mundum hunc aspectabilem dirigere. E veteribus enim plurimi, inter quos Aristoteles, cum non possent omnia naturæ phænomena per motuum propagationem explicare, confugerunt ad principium hujusmodi plasticum, cui vitam vimque activam, sed omni sensu & ratione orbatam attribuerunt. Ab ipso, tanquam a causa dirigente, repetebant plantarum vegetationem, animalium dispositionem organicam, similesque effectus naturales. Hanc opinionem instaurare sæculo proxime elapso studuit Cadwort Doctor Anglus, in libro quem juris publici fecit an. 1668. sub hocce titulo: *Le véritable systême intellectuel de l'univers*. Nunc systema mediatoris plastici exponamus.

Joannes de Clerc in opere, cui titulus: *Bibliothèque choisie* (*Tom.* 2. *pag.* 114.) fingit in nobis residere principium aliquod medium animam inter & corpus, cujus illud est ministerium, ut ad mentis imperium moveat corpus, & occasione commotionum quæ in corpore excitantur, animam de corporis statu admoneat, ipsi sensus gratos vel ingratos imprimendo. Sic ipse mentem suam explicat: *Ne se pourroit-il pas faire qu'il y eût un être vivant dans notre corps outre notre âme, qui lui fût subordonné, sans que notre âme le fût, & dont la puissance fût bornée, en sorte qu'il ne pourroit obéir que par le moyen des organes disposés d'une certaine maniere? on ne sauroit nier la possibilité de cet être, & par conséquent il n'est pas besoin de courir à Dieu pour rendre raison de l'exécution de nos volontés. Ce même être ébranlé par les mouvemens du corps, pourroit avertir les âmes de ce qui se passe, afin qu'elles ordonnassent ce qui seroit nécessaire pour sa conservation, & il fit ce qui est en son pouvoir, pour leur obéir. Comme on suppose cet être sans connoissance réfléchie. . . . il ne feroit qu'avertir l'âme, recevoir*

voir ces commandemens, pour les exécuter autant qu'il le pourroit. L'âme seroit, selon cette supposition, semblable à un maître, incapable de se servir lui-même, & qui n'auroit d'autre pouvoir que celui de commander; & le principe plastique ressembleroit à un esclave, qui ne sauroit rien des desseins de son maître, & ne feroit qu'exécuter ses ordres, & l'avertir de ce qui concerne ses intérêts.

Conjicit ergo Le Clerc nobis inesse aliquod principium medium, quod animæ sit instar famuli, quo suum corpus moveat, & corpori instar instrumenti, quo possit *sensationes* animæ imprimere. Si vero quæsieris quænam sit hujus principii natura, sic respondet Le Clerc: *Je réponds à ceux qui me demandent une définition nette de ce principe mitoyen, qui lie l'âme & le corps, que je n'en peux donner aucune exacte, parce que c'est une substance qui n'est connue que par les effets. Tout ce que j'en puis dire, c'est, que c'est un être qui a en lui même un principe d'activité, & qui peut agir également par lui-même sur l'âme & sur le corps; un être qui avertit l'âme de ce qui se passe dans son corps par les sensations qu'il y cause, & qui remue le corps aux ordres de l'âme, sans savoir néanmoins le fin de son action.*

PROPOSITIO.

Rejiciendum est systema Mediatoris Plastici.

Prob. Mediator ille vel materialis est, vel spiritalis: atqui in utraque hypothesi rejiciendus est. 1. Quidem si materialis sit. Ideo quippe inventus fuit, ut explicaretur quomodo anima in corpus, & corpus in animam agat: atqui, admisso *mediatore plastico* qui sit materialis, recurrit eadem difficultas. Explicandum enim su-

pe-

peterit, quomodo in eum anima, & ipse in animam agat. 2. Si fingatur spiritualis, propter eamdem rationem erit respuendus. Quo modo enim poterit in corpore agere, ipsique motus imprimere, qui animæ desideriis & imperio congruant? Quo pacto in anima *sensationes* excitabit, quæ motibus corporis sint accommodatæ? illud ergo systema in eas difficultates incurrit, propter quas solvendas excogitatum fuerat.

SYSTEMA *Causarum occasionalium*.

Systema illud a Cartesio excogitatum, deinde illustravit & strenue defendit Malebranchius. In eo situm est, quod anima reipsa & efficienter in corpus non agat, nec corpus in animam. Quis enim concipiat utriusque illius substantiæ contactum? sed cogitationes animæ non sunt nisi occasiones a Deo libere institutæ, quarum interventu quosdam in corpore motus ipse efficit: pariter varii motus, quibus commoventur sensuum organa, meræ sunt occasiones; quibus positis, nonnullas cogitationes vel *sensationes* in mente Deus ipse procreat. Quæ omnia, juxta leges quasdam generales & uniformes, non quoquo modo, perficiuntur. Unde fit, ut ex similibus organorum motibus, similes in corpore motus excitentur, modo nihil occurrat impedimenti. Hanc sibi legem Deus libere imposuit; eam proinde constanter observans, sibi tantum obtemperat, nec voluntatis creatæ est veluti famulus, ut perperam objicit Crouzaz.

PRO-

PROPOSITIO.

In eo consistit mentis & corporis nostri conjunctio, quod occasione motuum corporis in mente nascantur cogitationes, & occasione cogitationum mentis excitentur motus in corpore.

Prob. In eo reponenda est mentis & corporis nostri conjunctio, quod experientia nobis demonstrat, & quo posito, intelligitur, saltem aliquatenus, natura illius copulationis quæ hominem constituit; atqui ita se habet quam defendimus sententia. 1. Quidem si experientiam interrogemus, hæc certo nos docet occasione motuum corporis quasdam in mente nasci cogitationes. Si quo enim objecto exteriori corpus nostrum moveatur, ita ut motus ad cerebrum usque nervorum ministerio perveniat, aliquam *sensationem* experimus. Dum v. g. ad ignem accedimus, in mente excitatur caloris sensus, quia ignis particulæ tenues corporis fibras aliquo motu vellicant; pariter, si radii luminis fundum oculi leviter impellant, præsto est in mente *sensatio* luminis; si vulnus corpori nostro infligatur, illico mens dolorem percipit.

Experientia non minus constat occasione cogitationum mentis excitari motus in corpore; nam quando mens optat ut moveantur quædam sui corporis membra, v. g. manus, brachia, pedes, tunc in iis partibus adsunt motus, qui animæ desideriis consentiant; modo tamen organa sint bene disposita, & nullo morbo laborent, qui motus illos impediat. Pariter occasione affectionum mentis quidam existunt in corpore motus. Sic quando metu anima percellitur, tunc membra contremiscunt, mutatur vultus color, & ora pallescunt. Idem contingit cum animus ira æstuat; ergo 1. testatur experientia corpus & ani-

niam sibi invicem esse cogitationum & motuum occasiones.

2. Posita quam propugnamus sententia, intelligitur natura conjunctionis animæ cum corpore, quæ hominem constituit. Conjunctio quippe illa hujusmodi esse debet, ut ex corpore & mente unica exsurgat persona; atqui, posito mutuo cogitationum animæ, & motuum corporis commercio, ex mente & corpore unica coalescit persona. Tunc enim corpus & anima suis in affectionibus a se mutuo dependent, & sese invicem perficiunt. Mens quippe & corpus functiones habent, quibus orbarentur, sublato inter utramque præfato commercio. Ex eo nimirum fit, ut anima videat, audiat, olfaciat, variisque donetur affectionibus: corpus etiam varios perficit motus, quos sine sua cum mente conjunctione non exequeretur; ergo neutra substantia est sui juris, neutra in hoc statu completa: itaque non sunt duo *supposita*, sed unicam efficiunt *personam*; ergo 2. posita cogitationum mentis, & motuum corporis societate, intelligitur natura conjunctionis animæ cum corpore, quæ hominem constituit; aliunde; &c. ergo; &c.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Non potest corpus in mentem, neque mens in corpus agere; ergo utriusque conjunctio non consistit in mutuo quodam cogitationum & motuum commercio.

Resp. Dist. ant. Corpus non potest agere in animam, neque anima in corpus, tanquam causa efficiens & physica, conc. tanquam occasio, neg.

Re quidem vera corpus non potest in animam agere tanquam causa efficiens & physica. Hoc enim modo corpus agere nequit, nisi per contactum; mens vero, utpote simplex, nullas habet partes quibus tangi queat. Præterea nulla est inter motus corporis & cogitationes animæ con-

ne-

nexio. Pariter mens non potest motus corporis physice efficere; tum quia inter mentis affectiones & motus corporis non intercedit necessario colligatio, qualis esse debet inter causam physicam & illius effectum; tum quia mens ignorat quo pacto moveatur corpus, & quænam illius partes membris agitandis inserviant.

Sed corpus & anima, Deo sic instituente, sibi invicem sunt cogitationum & motuum occasiones, ut testatur experientia. Quid enim vetat quominus Deus, cujus summa est potentia, certis corporis motibus quasdam mentis cogitationes alligaverit, quamvis inter se nullam habeant proportionem? Nonne possunt & ipsi homines quasdam cogitationes cum nonnullis vocabulis colligare; quamvis inter utrumque nulla sit affinitas? quid enim cognationis est inter istud vocabulum, istas literas, *Deus*, & ideam quæ illarum occasione menti occurrit? nihil profecto.

Instab. Ad explicandam mentis cum corpore conjunctionem, ad Deum recurritur: atqui non decet Philosophum statim ad Deum confugere, ubi agitur de assignandis nonnullorum effectuum causis. Quid enim aliud est, quam poetas illos imitari, quos damnat Horatius, qui ad solvendos tragœdiarum nodos, Deum quempiam appellant? ergo minime philosophica est ratio, qua explicatur mentis & corporis nostri conjunctio.

Resp. Dist. min. Non decet Philosophum ad Deum recurrere, quando assignanda est causa effectus cujusdam particularis, conc. effectus generalis, neg.

Effectus *generalis* ille est, qui spectat ipsas naturæ leges, ut creatio materiæ, & motus ipsi impressus. Effectus *particularis* ille est, qui sequitur ex naturæ legibus jam institutis, v. g. æstus maris reciprocus, liquorum intra tubos suspensio. Revera non decet Philosophum ad Deum statim confugere, ubi agitur de explicandis effectibus nonnullis particularibus. Tunc enim nulla es-

esset quæstio, quæ ab homine, vel maxime imperito, optime non solveretur. Quærenti, v. g. quænam sit causa æstus maritimi, non satis est respondere, quia Deus ita voluit & instituit; nemo quippe illud in dubium revocat; sed assignanda est illius phænomeni ratio mechanica. Pariter, si quæratur cur anima dolorem sentiat, quando pungitur digitus, Philosopho non sufficit respondere; quia ita vult Deus, sed reponendum id accidere, quia nervi ad extremos digitos protensi, ita commoventur, ut motus ille ad cerebrum usque transmittatur; exponendum est insuper, qua ratione motus ille ad cerebrum usque perveniat.

Sed potest, imo debet Philosophus ad Deum recurrere, cum assignanda est causa effectus generalis, qui scilicet leges naturæ spectat; siquidem illæ a solo Deo institui potuerunt. Porro mentis & corporis nostri conjunctio, unus est ex illis effectibus, qui a causis secundis prodire non potuerunt. Unde recte philosophatur, qui statuit Deum solum esse illius causam. Quin imo pessime ratiocinaretur, qui mirabilem hunc effectum alteri causæ adscriberet. Evidens quippe est substantias tam dispares non potuisse nexibus adeo intimis sociari, nisi ab eo qui corpus & animam creavit.

Objic. 2. Multi fiunt motus in corpore, quorum occasione non excitantur in anima cogitationes vel *sensationes*, ut patet eorum exemplo, qui oratorem eleganter concionantem audientes, objecta non vident, quæ ipsorum oculis subjiciuntur; ergo mentis & corporis nostri conjunctio non sita est in mutua cogitationum & motuum reciprocatione.

Resp. Dist. ant. Multi fiunt, &c. sed cum aliis motibus junguntur, quorum vividior est impressio, conc. secus, neg.

Porro fieri potest ut quidam adsint motus in corpore, quorum occcasione nulla excitetur in men-

mente *sensatio*; sed illud oritur ex eo quod aliis motibus jungantur, quorum vividior est impressio. Cum enim mens non possit ad omnia simul attendere, ad ea suam attentionem convertit, quæ illam magis afficiunt: atqui impressio vehementior animam magis afficit, quam remissior; ad eam igitur, neglecta leviori, attendit. Illud adeo verum est, ut si desinat impressio vegetior, tunc mens ad eam attendat, quæ erat debilior. Hinc miles qui vindictam spirans, totus est in infligendis vulneribus, ex iis quæ sibi inflicta sunt nullum patitur dolorem, quandiu sanguis ebullit; sed postquam æstus iræ deferbuit, tunc proprio corpori attentione data, maximis cruciatur doloribus.

Præterea motus corporis nullam in mente *sensationem* excitant, nisi ad cerebrum usque transmittantur; atqui fieri potest ut quidam corporis motus ad cerebrum usque non perveniant, propter occurrens aliquod impedimentum; ergo mirum non est quosdam esse in corpore motus, qui nulli *sensationi* præbeant occasionem.

Instab. Si motuum vehementium occasione excitarentur in anima quædam *sensationes*, quidam affectus, gaudii, v. g. doloris; anima tunc non posset non gaudere, non dolere: atqui absurdum consequens; ergo & antecedens.

Resp. Dist. maj. Anima non posset non gaudere quoad sensum, conc. quoad consensum, neg.

Re quidem vera, cum sensuum organa quibusdam motibus concutiuntur, necesse est ut quidam in mente oriatur affectus, quædam v. g. voluptatis titillatio: si quis, ex. gr. concentum musicum aures suavissimè demulcentem attente audiat; penes mentem non est, aliquem delectationis sensum non experiri, sed potest mens non gaudere quoad consensum, sive in ipsius potestate est, voluptati qua tunc afficitur, non consentire; siquidem eam esse liberam postea demonstrabimus.

Ob-

Objic. 3. Si animæ propensiones & desideria essent motuum in corpore occasiones, posset anima quoslibet motus pro suo arbitrio in corpore excitare, sicque puer virum, vel fortissimum, prosternere valeret; atqui illud experientiæ adversatur; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Occasione enim propensionum mentis non existunt in corpore quilibet motus; sed ii tantum qui partium structuræ, & mechanicæ corporis dispositioni sunt attemperati: ea quippe est lex conjunctionis inter mentem & corpus sapientissime instituta: non potest igitur puer, quantumlibet velit, virum robustissimum vincere, quia motus ad illud requisitus non respondet mechanicæ corporis dispositioni, quæ longe debilior est in puero, quam in viro.

Objic. 4. Juxta nostram sententiam, anima non aliter cum proprio corpore, quam cum aliis conjungeretur, siquidem corpora externa suis motibus nostrarum *sensationum* occasiones existunt: atqui falsum est animam nostram non aliter cum proprio corpore, quam cum aliis, esse conjunctam; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. 1. Enim modo longe dissimili mens suum corpus & alia movet. Ista quippe movere non potest, nisi auxiliante suo corpore: ut v. g. externum aliquod corpus alium in locum transferat, non satis est, ut id velit, sed in illud suas facultates corporeas conferat necesse est. 2. Corporum ambientium motus non sunt *sensationum* nostrarum occasiones, nisi interveniente organorum nostrorum commotione. 3. Mens de proprio corpore jugiter sollicita est, illius conservationi perpetuo invigilat; si quid ipsi bene vel male contigerit, mens bene aut male se habet; ne ab illo disjungatur, naturæ instinctu reformidat; longe autem aliter se habet respectu aliorum corporum; ergo mens aliter cum proprio corpore, & aliter cum ceteris ambientibus conjuncta est.

PARAGRAPHUS II.

De effectibus, sive consectariis conjunctionis animæ cum corpore.

Ex conjunctione mentis cum corpore derivantur *sensationes*, imaginatio, memoria & habitus naturales, de quibus totidem in sectionibus agendum est.

SECTIO II.

De Sensationibus.

Quidquid de sensationibus dicturi sumus, varias in quæstiones distribuetur.

Quæres 1. quid *sensationis* nomine intelligatur.

Resp. *Sensationes* appellantur ii sensus intimi quos experimur, ubi corpus aliquod externum quasdam corporis nostri partes ita commovet, ut motus ille ad cerebrum usque, eo quo diximus modo, transmittatur. Duplex distinguitur *sensationum* species; aliæ scilicet *propriæ dictæ*, & aliæ quæ vocantur *passiones*. Posteriores illæ sunt affectiones intimæ, quæ referuntur quidem ad partes corporis nostri organicas, at nihil ipsis simile affingitur objectis extra nos positis; sic v. g. sensus *famis* refertur ad stomachum, *sitis* ad fauces, doloris ad digitum qui pungitur; sed nihil his sensibus simile tribuitur objectis externis.

Sensationes autem *propriæ dictæ*, sunt internæ mentis affectiones, quæ ad partes corporis organicas ita referuntur, ut aliquid ipsis simile refundamus in corpora externa, quæ hujusmodi affectionum occasiones esse solent. Ex. gr. transferimus in *rosam* aliquid simile sensui odoris quem in nobis excitat, in *ignem* aliquid affine sensui caloris, quem ad ipsius præsentiam experimur.

Qui-

Quibus in judiciis erratur, dum corporibus tribuuntur quæ spiritibus duntaxat propria sunt. Ad depellendum hunc errorem, sit

PROPOSITIO

Corporibus quæ sunt sensationum nostrarum occasiones, nihil inest sensationibus simile.

Prob. Sit in exemplum sensatio caloris, quam in nobis ignis excitat: atqui nihil est in igne huic affectioni simile. Prout enim ignis in corpus nostrum agit remissius aut vehementius, caloris sensus placet aut displicet: atqui nihil in ignem esse potest quod simile sit sensui grato vel ingrato. Quis enim dixerit ignem, utpote corpus, delectationem aut dolorem, vel quidpiam utrique affine, posse experiri?

Præterea eodem modo judicandum est de igne comburente, ac de acu pungente; ideo enim acus pungit, doloremque affert, quia fibras corporis divellit & disrumpit; pariter ideo igne ardente urimur & cruciamur, quia fibras corporis exagitat & distorquet; sunt igitur ambo casus similes; atqui tamen nemo judicat esse in acu pungente aliquid simile sensui doloris; ergo nullus etiam existimare debet, inesse carboni ardenti, aut aquæ ebullienti aliquid sensui caloris affine.

Denique absurdum est eamdem aquam ratione sui spectatam, simul calidam esse & frigidam; atqui tamen id contingeret in opinione quam refellimus. Fingamus enim te manum dexteram maxime frigidam, & manum sinistram calidissimam immergere in eamdem aquam tepidam; experientia constat eamdem illam aquam tibi videndam esse calidam in manu dextera, & frigidam in sinistra; ergo si huic aquæ inesset aliquid sensationibus nostris simile, inde sequeretur eamdem aquam ratione sui spectatam, esse calidam simul & frigidam; quod absurdum est; ergo, &c.

Quæ-

Quæres 2. cur anima suas sensationes, natura duce, referat ad partes sui corporis organicas; v. g. visionem ad oculos, auditionem ad aures; &c. cum neque oculus videat, neque auris audiat; sed anima sola.

Resp. cum Malebranchio legem hanc fuisse a Deo utiliter institutam. Deus enim, pro sua bonitate & sapientia, efficere debuit, ut anima cognosceret quænam sui corporis partes ad has vel illas impressiones destinatæ essent, quænam afflicta foret, ut ipsi mederetur. Si enim illud animam latuisset, ad videndum, v. g. forte pedes movisset, aut manus aperuisset. Dolente aliqua corporis parte, mens incerta & fluctuans, alteri forsan parti integerrimæ, non sine ipsius damno, remedium adhibuisset. Idem de aliis partibus organicis dicendum est.

Porro nulla tutiori breviorique via Deus efficere potuit, ut anima cognosceret, quænam sui corporis partes suarum affectionum sint organa, quam legem hanc instituendo, ut animus suas affectiones ad ea sensuum instrumenta, ex quibus nascuntur, naturæ instinctu referret. Sic enim sine arte, sine præcepto, ab infantibus, ab amentibus, verbo dicam, ab omnibus facile & certo judicatur oculum, v. g. visionis, aures vero auditus esse organum.

Quæres 3. cur anima aliquid suis sensationibus simile in ea corpora transferat, quæ sunt illarum occasiones.

Resp. cum eodem Malebranchio: cum nostrum corpus ab externis pendeat corporibus, quorum alia sunt noxia, alia utilia, Deus summe bonus, & sapiens, debuit facilem viam suppeditare, qua mens corpora alia ab aliis secerneret, sicque utilia suum in usum converteret, & damnosa repelleret. Illud tamen discrimen omnibus facillimum Deus effecit, hanc legem instituendo, ut anima tacito naturæ impulsu, aliquid suis sensationibus simile ad corpora externa, quæ ipsarum

sunt

sunt occasiones, referret. Sic enim mens absque ullo labore cognoscere potest, quænam ex objectis extra se positis suo corpori prosint aut noceant.

Quæres 4. cur sensationes quasdam, non autem alias mens referat ad externa corpora.

Resp. Hanc rationem affert Malebranchius in opere, cui titulus: *Recherche de la vérité*. (*Lib.* 1. *de sensib. cap.* 10.) animus, inquit, objectis extra nos positis illas impressiones tribuit, quæ per motus insensibiles ab iis excitantur. Sic igni tribuitur calor, quia ex igne nihil erumpere cernimus, quod in corpus nostrum agat; sed particulæ ignis tantæ sunt subtilitatis, ut oculorum aciem prorsus effugiant; ubi autem modo quodam visibili vim suam exerunt objecta, tunc in ea suas affectiones transferre mens renuit. Sic quia videmus acum pungentem, ipsi non affingimus quem experimur dolorem. Sed, pace tanti viri, dixerim eum exponere quidem quibus in circumstantiis ad objecta externa referantur, vel non referantur sensationes, sed hujus diversitatis causam ab eo non assignari: ex eo quod enim ignis actio sit insensibilis, ægre admodum intelligitur, quomodo calorem igni mens tribuat.

Aliam rationem proponit percelebris ille Philosophus: mens, inquit, corporibus externis adscribit aliquid suis sensationibus simile, quoties actio causæ exterioris, & ipsa mentis affectio eodem nomine appellantur; secus vero, si diversum sit utriusque nomen. Sic calor igni tribuitur, quia & actio ignis, & sensatio quam in nobis excitat, communi *caloris* nomine significantur. Contra vero acui pungenti non affingitur dolor cujus est occasio, quia dolor ille, & actio acus pungentis, diversis exprimuntur nominibus.

Quæres 5. quænam & quot sint sensationum organa.

Resp. Esse sensus externos, qui sunt numero quinque; nempe *oculi*, per quos colorum; *aures*,

res, per quas sonorum; *lingua* & *oris palatum*, per quæ saporum; *nares*, per quas odorum sensationes habentur, & denique *tactus* toto corpore diffusus, ex quo diversæ nascuntur affectiones. Hæc organorum divisio ex plurium observationum serie deducta est. Mens scilicet advertit, se diversas impressiones ex omnibus corporis sui partibus suscipere, caloris, v. g. & frigoris. Inde judicavit totum corpus suum organo communi velut circumvestiri, eique *tactus* nomen fecit. Observavit præterea se in quibusdam speciatim corporis sui partibus ita affici, ut nihil simile in ceteris experiretur: unde concludit tot existere sensus externos, quot sunt corporis sui partes peculiaribus excitandis impressionibus idoneæ. Hinc visus, olfactus, auditus & gustus organa discriminavit.

Quæres 6. an melior esset hominum conditio; si ipsis Deus sensus longe acutiores concessisset.

Resp. Sapiens omnium creator Deus iis nos instruxit sensibus, qui nostris in hac vita necessitatibus abunde sufficiant. Proportionem quamdam instituit inter corporis nostri organa, & corpora ex quibus magis pendent animi dolor & voluptas. Quod si iisdem remanentibus objectis, quæ nos circumstant, longe major fieret organorum sagacitas, id, nedum lucro foret apponendum, plurimum contra molestiæ & incommodi nobis afferret.

1. Si visus longe subtilior foret, forsan nec solares radios, nec ipsam diei lucem sustinere posset. Penitus quidem intimam objectorum contexturam, partesque reconditiores pervaderet. Id vero quam multis redimeret incommodis! namque si oculi microscopiis, v. g. similes essent, aquæ guttula qua dissolveretur piperis granum, aut etiam paululum aceti, quasi flumen immensum conspiceretur, quo innatarent pisces innumeri. Fœtidorum liquorum spuma, veluti campus amœnissimus, variisque floribus plantisque distin-

stinctus videretur; caseoli frustulum, velut pilosis araneis conspersum & hispidum appareret. Hinc fastidium optima quæque, & delectationem noxia gignerent.

Præterea si oculi essent microscopiis similes, objecta duntaxat cerneremus, quæ duobus tribusve tantum pollicibus distarent, cetera vero quæcumque, sive homines, sive plantæ, sive animalia, visu minime perciperentur; ergo ea quæ a longinquo vitare interest, declinari non possent. Sol, luna, stellæ, ipsum denique cælum nobis forent incognita; atque ita nos prorsus fugerent, quæ Dei majestatem & gloriam splendidius enarrant.

Contra, si instar telescopiorum oculi conformarentur, tunc cælorum plagas, siderumque motus longe quidem facilius dignoscerent homines; sed quæ sibi propiora forent, vix suspicarentur; regiones sibi plane incognitas incolerent, ac proinde nec quæ sibi utilia sunt admovere, nec quæ noxia facile removere possent.

2. Si Deus idem olfactus organum nobis concessisset, ac quibusdam venaticis canibus, vix alius alium hominem sufferret. Fœtidos odores nobis immitterent innumera corpora, quæ ad usus frequentissimos, peneque necessarios adhiberi solent; in iis igitur quæ nostræ conservationi prosunt, quantum esset molestiæ & fastidii!

3. Si delicatiores essent linguæ & palati fibræ; tunc aqua, panis, aliaque id genus non minus acriter palatum vellicarent, quam fercula, quæ multis salibus & acidis condiuntur; alimenta igitur, vel paucis vicibus regustata, nauseam procrearent.

4. Si acutius evaderet auditus organum, importunis continuo sonis personaret; omnis concentuum harmonia interiret, auribusque semper obstreperent murmur quoddam inconditum, & clamores plane confusi. Hinc nullus somno, nullus meditationi locus relinqueretur.

5.

5. Denique si delicatissimum foret tactus organum toto corpore diffusum, ita ut impressiones externæ illud non minus vivide afficerent, quam tenues oculorum membranas, proh! quam misera esset hominum conditio! ingratis molestisque perpetuo sensationibus vexarentur. Pluma, vel levissima, summam cutem nequidem perstringere posset, quin excitarentur in mente dolores acerbissimi.

Ex iis omnibus colligendum est sapientissime Deum externos sensus nostros attemperasse impressioni objectorum, quæ nobis vel prodesse vel nocere possunt; insulse ergo prorsus homines conquererentur, quod ipsis longe majorem sensuum sagacitatem Deus non concesserit.

SECTIO II.

De Imaginatione.

Quæres 1. quid sit imaginatio.

Resp. Ea est facultas quam habet anima, sub imagine corporea sibi repræsentandi objectum sensibile, etiam dum oculis non obversatur, & quiescentibus extremis sensibus. Sic rivulum video e colle cum strepitu defluentem, quamvis ab oculis & auribus meis remotissimum. Oculos claudo, & ecce menti meæ sese offerunt regales horti, variis floribus distincti, statuisque marmoreis ornati, in quibus naturam ars æmulatur. Si velim, vel medias inter noctis tenebras, mihi præsentes aderunt aquæ salientes Versaliarum, e tubulis in aera rapido jactu erumpentes, meque gratissimo recreabunt spectaculo. Hæc omnia ad imaginationem pertinent, per quam scilicet objectorum sensibilium species mens videt, quamvis hujusmodi objectis non commoveantur sensuum instrumenta.

Quæres 2. quomodo in anima suscitetur imaginatio, & qua in re differat a sensatione.

Resp.

Resp. 1. Imaginatio suscitatur in anima occasione motus organorum, qui incipit ab ea parte quæ est in cerebro. Scilicet cum motus initium habet a parte externa, & quæ ad sedem animæ transmittitur, anima dicitur *sentire*; sed quando motus incipit ab altera organorum extremitate, quæ interior est, mens dicitur *imaginari*.

Resp. 2. Intelligitur quodnam sit ex parte corporis discrimen inter vim imaginandi, & vim sentiendi. Quidnam vero sit discriminis ex parte animæ, vix explicari potest. Differre enim non videntur, nisi secundum magis & minus. Nam sentit anima quodammodo quidquid imaginatur, & vicissim imaginatur quod sentit. Tum sentiendo quippe, tum imaginando, percipit impressiones qualitatum sensibilium, colores, sonos, &c. Anima tamen cum *sentit*, vividius afficitur, quam cum *imaginatur*. Tunc enim anima *sentire* proprie dicitur, cum objecta extra nos posita sensus externos commovent & fibras ab iis ad cerebrum usque pertinentes: tum vero proprie dicitur *imaginari*, quando sola spirituum animalium agitatio fibras organorum excitat; porro objectorum externorum actio nervorum fibras vehementius impellit, quam sola spirituum in cerebro residuorum agitatio.

Quæres 3. undenam pendeat vis imaginandi.

Resp. Licet imaginatio ratione sui sit mentis cogitatio, pendet ab impressis cerebro vestigiis, ab illius fibris & temperie, a spirituum animalium motu & copia. Pro causarum illarum varietate, diversa est imaginandi facultas.

Hinc 1. in pueris & adolescentibus vividior leviorque est imaginatio; quia in iis mollior est cerebri substantia, fibræ delicatiores, major spirituum animalium copia & agitatio, ac proinde vestigia in cerebro facilius & promptius formantur. 2. In senibus frigidior est, quia cerebrum, præ nimia siccitate, rigescit, fibræ sunt duriores, spiritus pauciores, sanguis crassior, motus

tardior. 3. In media ætate perfectior est imaginandi vis, quia tunc nec mollius, nec durius est cerebrum. 4. Mulieres, cum fibris instructæ sint delicatioribus, facilius imaginantur, quàm viri. 5. In his qui frigidas incolunt regiones, crassiores sunt spiritus, & ideo tardior imaginatio; in iis autem vividior, qui calidiore cælo fruuntur. 6. Hinc explicari potest cur objecta nonnunquam imaginemur tanquam præsentia, quæ tamen sunt absentia: scilicet ex fortuito quodam spirituum animalium concursu fit, ut fibræ cerebri interiores eodem modo commoveantur, ac si oculis subjicerentur objecta. Inde nascuntur amentium & ægrotantium deliria.

Quæres 4. quænam sit imaginationis utilitas.

Resp. Multiplicis est generis: 1. enim delectationibus augendis, multiplicandis, accersendis inservit. Nec a. vero alienum est quod dicitur, imaginationis vi a quibusdam eas degustari voluptates, quarum procul absunt objecta. Multi enim visi sunt qui, dum animo ridicula fortunæ consilia volvebant, ita subito immodica lætitia efferebantur, ut subsultantes, deliciis perfusi conspicerentur.

2. Plurimum valet ad corporis ægritudines leniendas, temperandas, imo & depellendas. Non desunt enim homines qui miseriis vexati animum non dejiciunt; sed in fictis voluptatibus contra veras molestias remedia conquirunt, & quodam imaginationis artificio curas acerbiores veluti fallere norunt. Occurrunt etiam hominum exempla, qui morbis acrioribus tentati, ob vehementem quemdam imaginationis impetum, subitæ sanitati restituerentur. Ferunt paralyticum plurimis jam annis in lecto decumbentem, statim prosiliisse, & fuga saluti consuluisse, cum ei denuntiatum fuisset, cubiculum suo proximum jam voracibus ardere flammis. Idem de aliis permultis narratur, quorum pedes vinciebat segnior podagra.

3.

3. Exornandæ & persuadendæ veritati non parum confert imaginatio: minus scilicet verum est, quod a nonnullis dicitur, veritatem cultu neglecto exhibendam esse, eamque omnem sermonis fucum & artem dedecere. Ita quippe a natura comparati sunt homines, ut ad veritatis cognitionem & amorem nonnisi delectationis illecebra deduci soleant: porro imaginatio sola iis coloribus veritatem depingere potest, qui ipsam omnibus amabilem efficiant. Cum enim hujus imperio tota quasi natura subdita sit, potest undequaque imagines & ornamenta accersere, quorum ope in animos veritas facilius admittatur.

4. Imaginationi adscribenda sunt pleraque inventa & systemata, ex quibus plurima in societatem derivatur utilitas. Ad ea quippe excogitanda requiritur ingenium acre, promptior imaginandi vis, multa unico velut intuitu complectens. Numquam enim nisi sterilia & minuta systemata ab iis gignerentur, quibus vividam imaginationem natura denegaverit.

Quæres 5. quænam sint imaginationis pericula, quinam tristes effectus.

Resp. Diversi sunt generis: 1. si quando delectationis sensum exacuit, ipsum multo frequentius mœrore & fastidio perturbat. Frustra in conviviorum hilaritate, in spectaculorum jocis, in armorum strepitu, malorum lenimen quæsieris, si fuerit suis semel e sedibus convulsa imaginatio. Ludentem, somniantem, epulantem atra cura insectabitur. Præterea si quis morbus lecto te affixerit, cave ne nimium efferveat imaginatio. Mala enim ita exasperat, ut artis auxilio fiant insanabilia. Quot hominibus immaturam mortem attulit præconcepta mortis formido!

2. Non solum vera mala exacerbat imaginatio, sed etiam ubi sanum est corpus & valens, multa fingit quæ animæ molestiam, & corpori sæpe ægritudines afferant. Quot enim sunt in quibus sola ægrotat imaginatio, sed qui ipsius

ter-

terriculis miserabiliter delusi, mortales inde morbos sbi accerserunt! non pauci visi sunt, qui ab irato cane leviter admorsi, dum sibi vividius fingerent rabiosum fuisse canem, in spontaneam, ut vocant, hydrophobiam delapsi, paulo post interiere.

3. Ex malis & doloribus alienis nonnullorum ita fervescit imaginatio, ut similibus interdum corripiantur. Narrat Malebranchius, uni ex suis amicis dum morbo laboraret, medicorum jussu incisam fuisse pedis venam. Ancillula, quæ facem præferens operationi intererat, cum facto vulnere sanguis erupisset, tanto perculsa fuit terrore, ut per dies quatuor aut quinque, acerrimum in pede dolorem sentiret, lectoque decumbere cogeretur.

4. Monstra, quæ parturientes mulieres identidem emittunt, tristes sunt vehementioris imaginationis effectus, si gravissimis auctoribus, inter quos eminet Malebranchius, fidem habeamus. Ex. gr. Parisiis sæculo proximo elapso, vixit juvenis, qui stultus in lucem prodierat, cruribus, brachiis, renibusque fractis, & quidem iis in partibus, quas nefariis hominibus frangi jubent judices. Miserabillis ille juvenis, viginti tamen annis vita potitus est. Dubitari autem non potest, inquiunt, quin tantum malum a crurifragii spectaculo ortum habuerit, cui mater paulo ante partum interfuerat; cujus videlicet imaginationem ita commoverat horrendi illius spectaculi aspectus, ut delicatioribus pueri membris tristia hæc vestigia imprimerentur.

Quod si non ita frequens accidat nasci monstra, & infantes distortos ac plane deformes, sæpe contingit, ut notis quibusdam & maculis signentur. Mulier ardentius pomum, uvas, aliaque id genus cupierit, infanti nascituro plerumque pomi aut uvæ imago distincta imprimetur. Tantum in pueros valet matris imaginatio!

Dissimulare tamen non possumus hanc Malebran-

branchii doctrinam, quibusdam Physicis, & imprimis Buffon, minime probatam esse. Matris imaginatio, inquiunt, in fœtum intra maternum uterum recumbentem non tantum habet potestatis, ut tenello ipsius corpori partes quasdam organicas adjicere, aut eidem tollere valeat. Neque etiam existimandum putant, matris desideria, terrores, amores, odia posse quasdam in pelle infantis notas exarare, quæ, ipso crescente, simul adolescant.

Sic autem Malebranchii sententiam impugnant: 1. fœtus cum ipsa matrice non est intime colligatus; immerito igitur fingeres proximam inter matris & infantis cerebrum communicationem. 2. Sensationes nostræ nihil habent simile rebus extra nos positis, quarum occasione excitantur: non possunt ergo rerum istarum imaginem imprimere, & multo minus additis, demptisque corporis partibus, fœtum aut portentosum, aut informem efficere.

Quibus igitur causis tribuendi sunt fœtus monstruosi, vel male conformati? undenam oriuntur notæ (*taches*), quæ in quorumdam hominum pelle sunt exaratæ, & pro variis anni temporibus, varios induunt colores? Primum phænomenum, inquiunt, merus est legum mechanicarum effectus, præter consuetum naturæ ordinem. Infinitis enim modis disponi materia potest. Ex illis autem dispositionibus (*combinaisons*) quandoque prodeant necesse est effectus improvisi, prodigiosi, aspectu horribiles: notæ certo genitivæ quorumdam hominum corpori impressæ; ortum ducunt ex motu plus minusve celeri, ex majori aut minori abundantia & fluiditate sanguinis. Pro diversis enim anni tempestatibus minuuntur vel augentur sanguinis agitatio, copia, calor. Mutatis vero his accidentibus, colorem ipsum mutari probabile est.

5. Non physicam tantum corporis constitutionem perturbare & corrumpere potest parentum

imaginatio, sed mentis etiam infirmitates in pueros traducere. Quod genitrix amat, quod metuit, quod horret, infans amabit, metuet, horrebit, ut variis constat exemplis. Dum Maria *Stuard* Regem Jacobum in utero gestaret, ipsius sub oculis morte violenta Italus quidam fuit interemptus. Quo spectaculo vehementer commota, tantam parvulo transmisit impressionem, ut maturam ætatem assecutus, ad ensis conspectum contremisceret, palleret, vultumque ab eo detorquere cogeretur. Permulti sunt qui felem, murem, serpentem conspicere nequeant, quin corde statim deficiant. Quas quidem infirmitates sæpe a parentibus quasi hæreditatem traxerunt. Ex iis omnibus patet, quantum noceat imaginatio, nisi ipsius impetus rationis imperio coerceatur.

SECTIO III.

De Memoria.

Quæres 1. quid sit memoria.

Resp. Memoria ex parte vel mentis vel corporis considerari potest. Ex parte mentis est recordatio, sive reminiscentia, id est, ea mentis functio, qua recognoscit aliquas perceptiones, quarum nunc conscia est, jam olim sibi præsentes fuisse. Ea est unicum experientiæ fundamentum. Tolle reminiscentiam, omnes præteritæ cogitationes perinde sunt ac si nunquam extitissent, singulisque vitæ momentis novam quasi vitam ordiri videremur.

Memoria ex parte corporis spectata, sita est in vestigiis cerebro impressis. Scilicet ubi attente de re aliqua cogitamus, ad cerebrum affluunt spiritus animales, a quibus propria rebusque cogitatis accommodata vestigia in cerebro exarantur. Cum autem vestigia semel impressa relegunt spiritus animales, eadem menti recurrunt, & suscitantur perceptiones, juxta conjunctionis ani-

animæ & corporis leges a Deo constitutas. Memoriam ab aliqua corporis dispositione, tanquam ab occasione, pendere; inde certum est, quod ii, qui gravi quodam morbo affecti sunt, non semel & litterarum, & scientiarum, propinquorum, quin etiam & proprii nominis, obliviscantur.

Quæres 2. quænam sint & quomodo explicentur varia memoriæ phænomena.

Resp. 1. Facilius ediscunt, facilius & obliviscuntur juniores; contrarium iis contingit, qui ætatis sunt provectioris. Ratio est quia, dum juniores sumus, tenerius est cerebellum, in quo proinde facilius possunt spiritus animales quasdam veluti rimulas excavare; cum vero molle admodum & pene fluidum sit cerebrum, impressa brevi delentur vestigia. Si baculum aquis immergas, facile fit excavatio: sed quando ex unda retrahitur baculus, illico refluunt aquæ, nullumque superest excavationis vestigium. Contrariam ob rationem, debent maturioris ætatis homines difficilius ediscere, difficilius & oblivisci. In ipsis nimirum major est cerebri firmitas, nec tanta facilitate spirituum animalium impressionibus cedit. Unde fit ut exarentur in cerebro rimulæ constantiores & diuturniores. Tardius enim obliterantur lineamenta firmiori materiæ insculpta.

2. Facilius eorum meminimus, quæ secum invicem quadam serie colligantur, quam idearum quæ nullo inter se nexu cohærent. Ratio est quia ideæ similes mutuisque respectibus devinctæ, in cerebro pariter similes sibique connexas rimas efficiunt. Unde cum unam ex iis relegunt spiritus animales; lapsu facili in ceteras successive fluunt, sicque ideas analogas haud ægre exsuscitant: contra vero, cum disparatæ & dissimiles sunt ideæ, huc illuc vestigia figunt dissimilia & disjuncta, quibus serie continua perlustrandis nonnisi difficile assuescunt spiritus animales.

3. Ad mentis arbitrium aliquando recurrunt ideæ. Cum enim ideam revocare optamus, aliquid

quid cum ipsa connexum jam in mente sit præsens necesse est. Si quæram, v. gr. nomen domitoris Persarum, quis ex Græciæ angulo irruens, orbi universo leges & jugum imposuit, eas omnes circumstantias cum Alexandri quæsito nomine conjunctas, animo jam præsentes habeo: cum autem spiritus animales facile rimulas analogas subeant, sæpe ad mentis nutum excitabuntur perceptiones absentes, cum præsentibus sociatæ.

4. Juxta mentis vota res non semper succedit, & ideas suscitare aliquando frustra enitimur. Illud autem ita contingit; vel quia non sufficiens est vestigiorum connexio; vel quia longa oblivione deleri inceperunt; vel quia spiritus animales non satis abunde affluunt; vel demum quia eorum motus aliquid impedimenti offendit: hæc enim omnia, juxta Cartesium, explicandis memoriæ phænomenis conducere possunt.

5. Interdum perceptiones diu expectatæ, postea injussæ animo sese offerunt. Ratio est, quia spiritus animales mentis contentione prius agitati, superatis denique obicibus, in canales profluunt, quorum veluti ostium antea nequicquam pulsaverant.

6. Novis accedentibus scientiis, non raro delentur quæ prius acquisitæ fuerant. Illud inde oritur, quod finita sit cerebri capacitas, quam nimia rerum supellectili obruere non expedit: omnia rerum omnium vestigia servare non potest distincta, & sine ulla permistione. Hinc plurima scientiarum genera qui complecti student, in singulis parum proficiunt.

7. Infausto quodam casu interdum accidit nos ita memoria deficere; ut prorsus insaniamus. Miserabilis hæc mutatio contingit ex vehementiori cerebri commotione, cui occasionem præbuit, vel corporis externi violenta percussio, vel nimia fibrarum contentio. Tunc enim omnia prorsus invertuntur in cerebro, permiscentur rimu-

mulæ, partim obliterantur, partim immutantur, spiritus animales novum iter sibi aperiunt, omnis interit vestigiorum analogia & connexio.

SECTIO IV.

De Mentis humanæ habitibus.

Quæres 1. quid & quotuplex sit habitus.

Resp. Habitus a plerisque definitur *agendi facultas*. Sunt tamen quibus displiceat hæc definitio, quia facilitas agendi, inquiunt, non tam est habitus in se spectatus, quam illius effectus aut proprietas. Habitus enim certus est existendi modus, ex quo nascitur illa facilitas.

Multiplex distinguitur habituum species. 1. Alii sunt *supernaturales*, & alii *naturales*. Habitus *supernaturalis*, sive supra naturæ nostræ vires positus, est facultas actus *supernaturales* exercendi. Hujusmodi habitus dicuntur *infusi*, quia non labore, non exercitatione, non actibus repetitis comparantur, sed a Deo veluti *infunduntur*, ut Fides, Spes, Caritas, de quibus disserere Theologorum est, non Philosophorum. Habitus *naturales* ii sunt qui repetitis actibus contrahuntur, ideoque appellari solent *acquisiti*.

2. Habitus *naturalis*, vel *corporeus* est, vel *spiritalis*. Prior ille est, qui facultatem corpoream magis expeditam reddit ad nonnullas actiones exercendas, ut habitus cantandi, & instrumenta musica pulsandi. Posterior ille est, qui facultatem spiritalem juvat.

3. Habitus *spiritales* pertinent ad mentem, vel quatenus cognoscit, vel quatenus amat. Priores referendi sunt ad intellectum, cujus est cognoscere, ideoque dicuntur *intellectuales*; posteriores vero pertinent ad voluntatem, cujus proprium est amare, & vocantur *morales*.

Quæres 2. in quo sita sit habituum natura.

Resp.

Resp. 1. In eo satis consentiunt Philosophi, quod habitus corporei satis feliciter explicentur per liberos spirituum animalium ad quasdam corporis partes affluentium motus. Quo enim frequentius in easdem partes mittuntur, eo faciliorem viam sibi aperiunt, qua deinceps promptius commeantes, earumdem partium motus citius faciliusque renovant. Cur enim assidua exercitatione mobiliores fiunt citharædorum digiti, nisi quia spiritus animales, qui sunt causa motuum, per musculos aut nervos celerius discurrunt?

Resp. 2. Habituum spiritalium naturam non ita facile est definire. Eos hodierni plerique Philosophi sitos volunt in corporeis quibusdam affectionibus, nempe in vestigiis cerebro impressis, in cursu spirituum animalium libero, in facili & expedito nervorum & musculorum flexu, eorumque omnium remotione, quæ facultatis spiritalis exercitationem impedire posset. Cujus in sententiæ gratiam allegant experientiam. 1. Habitus spiritales, inquiunt, in nobis non existunt, nisi quando cerebrum quamdam habet dispositionem, nempe firmitatem cum flexibilitate conjunctam. Idcirco in infantibus non formantur illi habitus propter molliorem, nec satis tenacem organorum constitutionem. 2. Augentur & confirmantur mentis habitus, cum vestigia in cerebro impressa magis distincta sunt & aperta; cum spiritus animales per rimulas in cerebro exaratas liberrime excurrunt. 3. Habitus spiritales debilitantur & corrumpuntur ob causas contrarias; quando scilicet obliterantur vel confunduntur cerebri vestigia; quando spiritus animales alio divertunt, vel fiunt crassiores aut pauciores; quando tandem a peregrinis humoribus cerebri ductus occluduntur, vel spiritus animales constringuntur. Inde concludunt habitus spiritales in coporeis quibusdam affectionibus consistere.

Resp. 3. præfatam opinionem a nonnullis (nec sine gravibus causis) improbari, qui habitus spiri-

ritales in ipsa mente, non in vestigiis cerebro impressis existere contendunt. 1. Inquiunt, hujusmodi vestigia sunt quidem habituum causæ *occasionales*, imo ad eorum exercitium requiruntur, sed non sunt ipsimet habitus. Quemadmodum enim actus non sunt vestigia cerebro impressa, quamvis ipsorum occasione in mente excitentur & iterentur, idem de habitibus sentiendum est.

2. Habitus spiritales ordinis naturalis, inquiunt, ex ipsa Philosophorum quos impugnamus definitione, sunt facilitas cognoscendi & amandi: atqui absurdum est facilitatem hanc oriri a corpore, sicut inepte diceretur facilitatem saltandi, canendi, membra hoc vel illo modo flectendi a mente ortum ducere; quemadmodum igitur habitus corporei existunt in corpore, ita & spiritales in mente resident.

3. Fatentur omnes duplicis generis esse habitus naturales, alios scilicet corporeos, alios spiritales: in opinione autem adversariorum omnes habitus essent corporei; siquidem omnes in quadam organorum dispositione sunt constituti.

4. In opinione quam refellimus, inquiunt, habitus mentis existerent in corpore, id est, habitus unius substantiæ residerent in alia a priori omnino distincta & diversa: atqui nihil absurdius fingi potest.

5. Habitus substantiæ cujuslibet, in ea sunt aliquid intimum: nihil quippe aliud sunt, quam substantia ipsa certo modo affecta; non minus ergo repugnat habitus mentis in corpore constitui, quam repugnat substantiam mentis esse ipsam substantiam corporis; vel certos mentis existendi modos esse affectiones corporis, seu quasdam ejus partium dispositiones.

6. Supponamus insanire statim hominem in quo prævalet amor Dei *habitualis*, insanire pariter alium hominem in quo dominatur amor creaturarum *habitualis*; fingamus in utroque obliterari simul

simul omnia cerebri vestigia, ita ut in isto dementiæ statu ambo moriantur; in principiis adversariorum, neque hic salvabitur, neque ille damnabitur. Sicut enim in altero deletus est justitiæ habitus, ita pariter in altero extinctus est habitus injustitiæ dominantis: atqui tamen contrarium de utroque docet Fides, cui nefas sit opiniones philosophicas anteponere. Non possunt enim non esse eo ipso falsæ, quod pugnent cum Fide.

Neque dicant adversarii, pergunt iidem Philosophi, habitus *supernaturales* a naturalibus plurimum differre. Nam discrepant quidem ratione modi quo habentur, non vero quoad naturam habituum in se consideratam; id est, illorum, sicut & horum, natura corporea est, vel spiritalis; atqui fatentur adversarii, & fides ipsa docet, habitum justitiæ totum in mente existere, & nullo modo in corpore, sive in vestigiis cerebro impressis; ergo generatim fateantur necesse est, omnes habitus spiritales, ordinis tum *supernaturalis*, tum *naturalis*, in mente esse suppositos, non vero in vestigiis cerebro impressis.

Philosophi, qui posteriorem hanc sententiam defendunt, aliis sunt quidem numero impares, sed rationum momentis vincere & prævalere videntur.

ARTICULUS II.

De Animæ, post corporis dissolutionem, ad vitam alteram destinatione.

Singulis hominibus assignata est certa quædam temporis periodus & veluti mensura. Modo infantes, modo ætate provectiores mors assequitur. Dierum intercisa serie, corpus atteritur, corrumpitur, dissolvitur. Quod terrenum erat, terra suscipit; quod humidum, aquæ elemento restituitur; quod æthereum, dissipatur in auras;

quod

quod igneum, fertur in sublime. Sparsæ illæ corporis reliquiæ novas induunt formas, novas perpetuis vicibus subeunt conversiones. Interea mens, excusso corporis pondere, terrenis vinculis soluta, ad futuram vitam pergit, in qua vel præmia virtutis ferat, vel vitiorum pœnas. Tanti igitur momenti est quam aggredimur quæstio, ut qui circa eam indifferens remanet, de immortalitate mentis parum sollicitus, is omnem humanitatis sensum exuisse videatur. Unde sic habet celeberrimus Paschal: *L' immortalité de l' âme est une chose qui nous importe si fort, & qui touche de si près, qu' il faut avoir perdu tout sentiment, pour être dans l' indifférence de savoir ce qui en est.* Posito enim immortalitatis dogmate, eo spectare debent omnia nostra opera, omnes cogitationes, omnia consilia, ut beatam immortalitatem assequamur.

Post supremi Numinis existentiam, alterum Religionis fundamentum est animæ immortalitas, ut eleganter sic docet eminentissimus Poeta D. Polignac.

Geminis fundatur nostra columnis
Religio, quas non timor, aut male-suada cupido,
Ipsa sed ante oculos prudens natura locavit;
Esse Deum, auctorem rerum, justique tenacem;
Esse animos nullo perituros temporis ævo.
Mirari satis hic nequeo, quis tetricus horror,
Despectusque sui, quæ mortis prava libido,
Lymphatas hominum mentes incesserit, ut se
Corpore mortales cum sint, natique sepulcro,
Mortales animo esse velint, penitusque caducos;
Tantus amor nihili! tanta est vecordia!

Itaque pro viribus asserenda est animæ immortalitas, vitæque alterius fides. Sed prius annotandum est duplici modo immortalem dici posse aliquam substantiam, nimirum *ab intrinseco*, ut ajunt, & *ab extrinseco*. Immortale *ab intrinseco*

co illud est, quod nullum corruptionis & dissolutionis principium in se continet. Corpora eo sensu non sunt immortalia, quia ex variis coalescunt partibus, quæ dissolvi possunt. Immortale *ab extrinseco* illud dicitur, quod a nulla câusa sibi externa destrui potest. Quæ immortalitas soli Deo propria est: latiori autem sensu immortalis *ab extrinseco* dicitur substantia, quæ, licet a supremo nomine destrui posset, nunquam tamen ab eo delenda est.

Nonnulli perditi homines, ut intimos remordentis conscientiæ stimulos extinguant, suisque cupiditatibus indulgeant liberius, animæ immortalitatem pro suis viribus aggrediuntur. Ex iis non pauci mentem, quam a corpore distinctam nolunt, cum eo simul dissolvendam esse contendunt, proindeque vitam non admittunt alteram. Alii futuram quidem agnoscunt vitam, in qua sua sit virtuti merces, & vitio pœna; sed animam perpetuo mansuram negant, eamque post certum temporis spatium delendam existimant; immortalitatem igitur *ab extrinseco* rejiciunt. Sunt denique qui mentem semper extituram esse ita fateantur, ut pœnarum æternitatem inficientur, animamque ad tempus duntaxat puniendam statuant. Varios illos errores ut refellamus, sit

PROPOSITIO I.

Mens humana est immortalis ab intrinseco.

Prob. Illa substantia est immortalis *ab intrinseco*, quæ in se & natura sua nullum habet corruptionis & dissolutionis principium: atqui mens humana in se, &c. siquidem est omnino simplex, ut alibi demonstrabimus. *Dubitare non possumus*, inquit Tullius, *nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admistum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil cong-*

men-

mentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest, nec interire igitur: est enim interitus, quasi discessus & secretio ac diremptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur. (*Tuscul. Quæst. L.* 1. *n.* 29.) Ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Mens humana est immortalis. ab extrinseco, *sive post dissolutionem corporis, superstes a Deo servatur, alteraque admittenda est vita.*

ARGUMENTUM I.

Ex summa Dei Providentia & justitia.

Certum est huic orbi universo præesse summum moderatorem, justum & providum Deum: atqui nec justus, nec providus esset Deus, si alteram hominibus vitam non destinaret. In hoc enim præsertim sitæ sunt Dei justitia & providentia, ut sua sit virtuti merces, suaque vitio pœna: atqui, nisi speranda sit altera vita, erit &c. Namque constat in hac præsenti vita sæpius mercede sua fraudari virtutem, nec vitio pœnam infligi. Non raro perditi homines Deique contemptores divitiis affluunt & deliciis, omniaque habent prospera; viros autem probos, & religiosos Dei cultores sæpe videas in luctu, in paupertate, in ærumnis & doloribus vitam ducentes miserrimam; divinæ igitur justitiæ & providentiæ ordo postulat, ut altera sit vita, in qua mens corpori superstes, vel præmium virtutis, vel pœnam criminis accipiat. Veritatem hanc versibusque sic exornat Racine:

Sur la terre, il est vrai, je vois dans le malheur
La vertu gémissante, & le vice en bonneur,

Mais

Mais j'eleve mes jeux vers le Maître suprême,
Et je le reconnois dans ce désordre même.
S'il le permet, il doit le réparer un jour.
Dieu veut que l'homme espere un plus heureux séjour.
Oui, pour un autre temps, l'Être juste & sévere,
Ainsi que sa bonté, réserve sa colere.
Poëme de la Religion, Cant. II.)

ARGUMENTUM II.

Ex Dei sapientia.

Insipiens est legislator, qui leges a se conditas ita negligit, ut qui eas infringunt aut servant, promiscue & indiscriminatim ab ipso habeantur. Sic enim & legibus suis, & sibimet contemptum conciliat: atqui ita se gessisset Deus, nisi leges hominibus impositas pœnis ac præmiis sanxisset, post corporis mortem præsertim rependendis; siquidem in hac præsenti vita legem observantibus sæpe nihil sperandum, & ipsarum infractoribus nihil timendum est; postulat igitur sapientia divina, ut altera sit vita, in qua aliis præmia, & aliis pœnæ destinentur.

ARGUMENTUM III.

Ex Dei sanctitate.

Sanctus est Deus, nec vitium approbare potest, & virtutem improbare: atqui utriusque merito accusaretur Deus nisi post mortalem hanc vitam, præmium bonis, & pœnam malis rependeret. Nunc enim Deus, opes, dignitates, voluptates super impios, sæpe vero luctum, ærumnas, opprobrium super justos effundit; ergo priores approbare, posteriores autem improbare videtur; ergo ut absolvatur Dei sanctitas, altera sit vita necesse est, in qua pateat terrenas opes a Deo vin-

vindice ad cordis obdurationem fuisse impiis distributas; piis vero calamitates, ad fidei probationem.

ARGUMENTUM IV.

Ex summa Dei bonitate.

Non potuit Deus summe bonus eum instituere rerum ordinem, in quo multis hominibus probis melius esset non existere, quam existere: atqui nisi futura sit altera vita, ubi mercedem virtus, & pœnam vitium recipiat, plurimis hominibus vel pietate conspicuis, longe satius esset non existere, quam existere. Si enim mens humana, dissoluto corpore, non sit mansura, in nihilum statim post mortem relapsuri sunt tot viri sancti, qui propter servandas Dei leges innumeris conflictantur ærumnis; atqui hujusmodi hominibus longe melius esset non existere, quam existere, ut satis patet; ergo exigit summa Dei bonitas, ut altera sit vita, in qua remuneretur virtus, & puniatur vitium.

ARGUMENTUM V.

Ex felicitatis desiderio nobis innato.

Certum est hominem ita esse a natura, vel potius ab ipsius naturæ auctore Deo, comparatum, ut summum bonum, summamque beatitudinem appetat indesinenter. Certum est etiam hunc appetitum frustra non esse singulis hominibus insitum. Namque supremum Numen dedeceret, animis nostris instillare desideria quæ nunquam, etiam citra hominis culpam, explerentur. Quid enim id aliud esset, quam suis creaturis illudere? Atqui nisi, intereunte corpore, anima servaretur superstes, & nisi expectanda esset altera vita, Deus frustra vividum illud beatitudinis

desiderium mentibus nostris inseruisset; siquidem in hac vita nulla est vera & perfecta felicitas, quæ scilicet omnes expleat animæ facultates, ut nemo diffitetur; necesse est ergo ut altera nos maneat vita, in qua vera plenaque beatitudine potituri sint, qui divina præcepta servaverint.

Magis forte arridebit illud argumentum, si vividis poeseos coloribus ornatum prodierit.

De tout bien qui périt, mon âme est mécontente.
Grand Dieu, c'est donc à toi de remplir mon attente:
Si je dois me borner aux plaisirs d'un instant,
Falloit-il pour si peu m'appeller du néant?
Et si j'attends en vain une gloire immortelle,
Falloit il me donner un cœur qui n'aimât, qu'elle?
Que dis-je? libre en tout, je fais ce que je veux:
Mais dépend-il de moi de vouloir être heureux?
Pour le vouloir je sens que je ne suis plus libre;
C'est alors qu'en mon cœur il n'est plus d'équilibre,
Et qu'aspirant toujours à la félicité,
Dans mon ambition je suis nécessité.
Quoi, l'homme n'est-il pas l'ouvrage d'un bon Maître.
Puisqu'il veut être heureux, il est donc fait puor l'être.

(Poëme de la Religion. Chant. II.)

ARGUMENTUM VI.

Ex unanimi populorum consensu.

Apud omnes populos semper viguit alterius vitæ fides. Nulla quippe est Religio, quæ hoc principio non fuerit innixa. Pagani sub amœnissima camporum Elysiorum imagine describunt eorum felicitatem, qui virtutem coluerint; & horrenda Averni nigredine adumbrant eorum supplicia, qui criminibus contaminati e vita decesse-

serint. Eamdem hanc veritatem professi sunt viri antiquitatis præstantissimi: „ Maximum vero argumentum est, inquit Tullius, naturam ipsam „ de immortalitate animorum tacitam judicare, „ quod omnibus curæ sunt, & maxime quidem, „ quæ post mortem futura sint... quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid „ adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulcrorum monumenta; „ quid elogia significant, nisi nos futura etiam „ cogitare?... inhæret in mentibus quasi sæculorum quoddam augurium futurorum." (*Tuscul. quæst. n.* 14. & 15.)

Adeo manifesta est hæc veritas, ut eam fateantur recentiores etiam increduli, quorum testimonia sic refert D. Bergier: (*Traité hist. & dogm. de la Relig. t.* 3. *p.* 222.)

Il seroit comme impossible, dit un Philosophe, de trouver des peuples chez lesquels l'opinion commune ne donnât pas une espece d'immortalité à nos âmes. (*Lettre de Trasibule à Leucippe, pag.* 285.) *Rien de plus populaire, dit un autre, que le dogme de l'immortalité de l'âme; rien de plus repandu, que l'attente d'une autre vie: sur ce préjugé sont fondés tous les systêmes religieux & politiques.* (*Systême de la nature, tom.* 1. *chap.* 13. *pag.* 260.) *Palinbroke, quoiqu'ennemi de ce dogme, avoue, qu'il est plus ancien que nos connoissances historiques.* (*Œuvres posth. tom.* 5. *pag.* 237.) *On en a trouvé des symboles & des preuves chez des sauvages, qui n'avoient d'ailleurs aucune marque de culte public.* (*Bayle, Contin. des pensées* §. 14.)

Generalis autem illa immortalitatis & alterius vitæ fides, non præjudiciorum, nec cupiditatum fœtus esse potuit, cum iis refrenandis non parum inserviat.

AR-

ARGUMENTUM VII.

Ex periculo negandæ immortalitatis.

Quamvis sententia immortalitatem animæ affirmans, non foret verisimilior, attamen viri prudentis esset eam amplecti, ipsique vitam suam accomodare. In dubiis enim pars tutior est eligenda, ut jubet vulgare axioma: atqui sententia quæ mentis immortalitatem defendit, longe tutior est opposita. Qui enim animam esse immortalem existimant, & vitam huic persuasioni consentaneam duxerint, ii omnia tuta habent, nihilque adeunt discriminis, etiamsi fallerentur; qui vero mentem fore corpori superstitem negant, omnia in discrimen adducunt. Nam si altera vita eos maneat, quam luctuosa, quam deploranda erit ipsorum conditio! quam horribiles pervicaciæ suæ pœnas daturi sunt, qui & Religionis, & ipsius naturæ voci obstinato animo restiterint! ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Illud interire debet simul cum corpore, quod ab eo pendet ut existat: atqui mens humana pendet a corpore, ut existat; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Substantia enim a corpore distincta & prorsus diversa, ab eo non pendet ut existat: atqui mens humana est substantia, &c. siquidem est simplex, corpus vero compositum. Præterea si mens a corpore sejuncta plurimas functiones facilius & perfectius exerceret, certe non pendet a corpore ut existat: atqui mens humana a corporis vinculis soluta, plurimas obiret functiones & facilius & perfectius. Ad contemplandas enim res divinas veritatesque mere intelligibiles, & supra sensus positas, magis esset expedita: ab earum quippe meditatione abducitur

&

& distrahitur per importunas *sensationes*, quibus occasione corporis subjacet.

Instab. Quod est forma corporis, ab eo pendet ut existat; atqui mens humana est forma corporis; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Quod est forma, id est, modificatio corporis, ab eo pendet ut existat, conc. quod est forma corporis, id est, substantia quæ corpus regit, & informat, ab eo pendet ut existat, neg.

Mens humana dici quidem potest forma corporis, quia corpus cui conjuncta est, regit, moderatur & informat; non autem eo sensu quod sit corporis modificatio. Corporis enim alicujus modus, v. g. rotunditas, ab eo non distinguitur, & nihil aliud est, quam corpus ipsum hoc vel illo modo dispositum: atqui mens humana, utpote simplex a corpore prorsus distincta est ac diversa; ergo illius modificatio esse non potest.

Objic. 2. Mens humana est substantia *incompleta*; ergo sine corpore non potest existere.

Resp. Dist. ant. Mens humana est substantia *incompleta*, eo sensu quod sola hominem, cujus pars est, non constituat, ad corpusque regendum destinata sit, conc. eo sensu quod sine corpore existere nequeat, neg.

Porro mens humana dicitur *incompleta*, quod simul cum corpore ad hominem constituendum concurrat, regendoque corpori destinata sit; minime autem eo sensu quod sine corpore existere non possit. Ubi enim duæ substantiæ sunt naturæ prorsus dissimilis, una potest sine altera existere: atqui corpus & anima duæ sunt substantiæ naturæ omnino diversæ, ut demonstravimus; ergo, &c.

Obj. 3. Substantia quæ propter solum corpus creata est, cum eo interire debet: atqui mens humana, &c. ergo, &c.

Resp. Neg. min. Deus enim propter seipsum, tanquam finem ultimum, mentem humanam pre-

crea-

creavit, ut scilicet ab ea cognosceretur & diligeretur. Et vero substantia nobilior & præstantior dici non potest creata propter aliam longe inferiorem & ignobiliorem: atqui mens humana substantia est corpore nobilior & excellentior; & aliunde cum eo nullam habet necessariam connexionem, cum sit naturæ omnino dissimilis; ergo mentem suam nimium deprimeret quisquis eam propter corpus solum creatam fuisse existimaret.

Instab. Quod informando corpori destinatum est, propter solum corpus merito dicitur creatum: atqui mens humana corpori informando destinata est; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Quod informando corpori ex natura sua destinatum est, merito dicitur propter corpus fuisse creatum, conc. quod nonnisi ex libera Dei voluntate informando corpori destinatum est, merito, &c. neg.

Porro humana mens ex libero tantum Dei decreto ad corpus informandum destinata est, minime vero ex natura sua. Illa enim substantia corpori informando ex se comparata non est, in qua nulla deprehenditur necessaria cum corpore connexio; atqui in mente humana nulla, &c. quinimo utriusque natura & proprietates sunt omnino dissimiles, nullamque inter se habent cognationem; ergo, &c.

Objic. 4. Illa substantia perit cum corpore, quæ corporis affectiones sequitur: atqui mens humana, &c. Prout enim bene vel male se habet corpus, anima pariter bene vel male se habet; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Substantia quæ sequitur corporis affectiones, ita ut similes experiatur, ejusdemque naturæ, conc. eo tantum sensu quod occasione variarum corporis affectionum, varias & diversæ naturæ affectiones, experiatur, neg.

Porro mens humana occasione affectionum quæ corpori accidunt, varias experitur affectiones, sed naturæ prorsus dissimilis: ex. gr. si partes cor-

po-

poris a se invicem divellantur, ea occasione excitatur in anima sensus doloris: atqui nihil simile contingit corpori. Istud etiam diversis motibus agitatur: atqui motus illi in animam non transeunt: siquidem omnium est partium expers; ergo mens easdem, ac corpus, affectiones non admittit.

Objic. 5. Substantia quæ initium habuit cum corpore, cum eo pariter finem est habitura: atqui mens nostra, &c. ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Ex eo quod anima idem ac corpus initium habuerit, non inde sequitur eam simul cum corpore esse interituram; potuit enim Deus velle, ut corpori dissoluto superstes servaretur. Numquid unius substantiæ destructio alterius ruinam exigit, & maxime cum naturæ sunt omnino disparis?

Præterea corpus post suam ab anima disjunctionem non abit in nihilum, sed tantum mutatur; non destruitur, sed dumtaxat dividitur; non perit, sed novam solum formam induit. Norunt enim omnes Philosophi nullam materiæ particulam ad nihilum redire: atqui ex adversariis, eamdem sortem & fortunam experiuntur corpus & anima; ergo mens a corpore sejuncta in nihilum non recidit, ac proinde non perit, siquidem perire non potest, quin redigatur in nihilum; partes quippe nullas habet, quarum dissolutione interire possit; ergo manet corpori superstes.

Instab. Si anima, quæ initium habuit cum corpore, simul cum eo non interiret, mortem corporis non tantopere reformidaret: atqui tamen eam vehementer reformidat; ergo simul cum corpore interit.

Resp. Neg. maj. Deus enim animam corpori jungendo voluit, ut ejus conservationi invigilaret, & ideo naturalem ipsi indidit eorum omnium formidinem, quæ corporis constitutioni nocere possunt. Quid vero corpori magis noxium esse potest, quam mors? Præterea dubitatio, anxie-

tas,

tas, qua sollicitatur anima, de futuro post corporis mortem suo statu, vitæ præteritæ recordatio, & justitiæ divinæ quam nullus effugere potest intuitus, non leves sunt causæ, cur mortem corporis mens refugiat.

Objic. 6. Nemo est, qui ab omnibus miseriis & doloribus sese immunem non cupiat: atqui tamen immunitatem hanc nulli mortalium concessam esse testatur experientia; ergo rei alicujus desiderium non probat nos ad eam esse comparatos, ac proinde ex innato immortalitatis desiderio male colligitur mentem nostram fore immortalem.

Resp. Dist. min. Nulli mortalium concessa est hæc immunitas, quia homo per peccatum a primævo innocentiæ statu excidit, conc. min. secus, neg. min.

Itaque homines tot miseriis & doloribus non essent obnoxii, nisi a primigenio innocentiæ statu per peccatum excidissent. Sub Deo enim justo nemo miser, nisi mereatur, esse potest; illæ ergo miseriæ, illi dolores quibus conflictatur genus humanum, naturam arguunt in deterius mutatam, neque ad primam hominis conditionem pertinent.

Præterea in ista quidem vita non expletur desiderium, quo velimus nos ab omnibus malis solutos esse; at suum effectum assequetur in altera vita, ubi nullus ærumnis & doloribus locus supererit; si divinis, dum in terris peregrinamur, præceptis obtemperemus. Hanc præsentibus in malis consolationem injicit certissima vitæ alterius expectatio; qua quidem sublata, nihil solatii miseris relinquitur mortalibus.

Objic. 7. Anima belluarum est a corpore distincta, & tamen perit cum corpore; ergo idem de mente humana sentiendum est.

Resp. 1. Neg. anteced. propter rationes quas exponemus in appendice de anima belluina, quæ Metaphysicam claudit.

Resp.

Resp. 2. Neg. conseq. Qui enim in belluis admittunt substantiam a materia distinctam, eam tamen a nostra insigniter differre confitentur. Namque, juxta ipsos, animæ belluarum nullam Dei, nullam rerum mere intelligibilium cognitionem habent, nec virtutum & vitiorum sunt capaces, quæ homines vel præmio, vel pœna dignos efficiunt; ergo ex eo quod anima belluarum, si quam habeant, cum corpore pereat, non sequitur mentem humanam cum corpore simul interire.

Objic. 8. Virtus ipsa sibi merces, vitiumque sibi pœna est sufficiens; pax enim & securitas sunt virtutis comites; stimuli vero conscientiæ malos pungunt & exagitant; ergo non requiritur altera vita, ut sua sit virtuti merces & vitio pœna.

Resp. Neg. ant. quoad utramque partem. 1. Quidem virtus non ipsa sibi est merces sufficiens; tum quia ad virtutem constanter sectandam multæ sunt difficultates superandæ; tum quia sensus internæ pacis suavissimus, non semper est virtutis comes, dum scilicet timent justi ne Deum quem amant offenderint, & præsertim ne justitiam aliquando sint amissuri. Praeterea interior illa conscientiæ pax, nititur spe mercedis in altera vita percipiendæ, quæ sola justos, varias inter ærumnas, erigit & solatur. Quæ igitur virtutem comitari solet pax animi, alterius vitæ necessitatem demonstrat, nedum evertat.

2. Vitium non sibi pœna est sufficiens; suas enim habet illecebras, per quas male placet & delectat. Præterea improbi ipsa criminis consuetudine, adversus conscientiæ stimulos ita quandoque firmantur & obdurescunt, ut eos vix ac ne vix quidem sentiant; si ergo non alia vitio pœna destinaretur, eo minor fieret, quo magis criminibus assuescerent nefarii homines. Denique ideo conscientiæ aculeis vexantur improbi, quod impressam animo gerant ideam Dei, qui in altera vita sit criminum vindex; ii ergo, quibus

 pun-

punguntur stimuli, alterius vitæ fidem confirmant.

Objic. 9. Deus potest impios post corporis dissolutionem, in nihilum redigere, quæ pœna erit ipsis sufficiens; cum omnes ex natura sua universam destructionem abhorreant; ergo minime necesse est ad vitam alteram confugere, ut sua sit vitio pœna.

Resp. Neg. ant. Hæc enim pœna non sufficit. 1. Quia integram extinctionem parum curant impii. *Manducemus*, inquiunt, *& bibamus; cras enim moriemur*. (1. Cor. 15. 32.) 2. Quia non tantum postulat Dei sapientia, ut puniantur improbi; sed etiam ut diversa pro diversis criminibus pœna infligatur; namque si par esset conditio, tum eorum qui in paucis peccarunt, tum eorum qui omni scelerum genere sese inquinassent, tunc nulla in Deo æquitas, nulla sapientia deprehenderetur. Qui enim futuram felicitatem contemnere cœpissent, jam nullo fræno coerciti, in teterrima quæque ruerent; cum videlicet eamdem uni delicto, ac plurimis criminibus pœnam, nempe eamdem destructionem, sancitam cognoscerent.

PROPOSITIO III.

Æternam fore Justorum beatitudinem, ac proinde vitam, ratio persuadet.

Prob. 1. Hujusmodi esse debet vera beatitudo ut omnem anxietatem excludat: atqui si justorum felicitas esset aliquando desitura, non minor foret beatorum sollicitudo, quam eorum qui in terris positi thesaurum gestant, quo spoliari possunt, quinimo, cum melius norint beati conditionis suæ pretium, illius amittendæ metu longe acerbiore sollicitarentur. Hinc ea Tullii verba: *Si amitti vita beata potest, beata esse*

non

non potest. (*Lib.* 2. *de finib. bonorum*.) Nec dicas animam justi, ipsa incogitante, nec subdubitante, ex improviso esse extinguendam. Deus quippe eam fallaci securitate deluderet, & quasi velum ante oculos expanderet, ne proximæ extinctionis imaginem intueretur; quod Deo prorsus indignum est.

2. Non solum felicitatem appetimus, sed felicitatem constantem, immutabilem & perpetuam, in qua nihil amplius vel sperandum vel metuendum sit. Hæc propensio universalis est ac ineluctabilis; ab ipso igitur Deo fuit nobis insita, nec suo effectu, sine hominis culpa, fraudari potest: atqui tamen eo fraudaretur, si justorum felicitas esset finem habitura.

3. Quænam causa Deum posset impellere, ut mentem post aliquod temporis spatium a beatitudinis sede in nihilum detruderet? Justorum animas diligit Deus, & ab ipsis diligitur. Quorsum ergo statim abrumperetur illud caritatis commercium? Nonne probabilius est, mutuum hunc Creatoris & creaturæ amorem esse beatitudinis nunquam desituræ pignus certissimum?

PROPOSITIO IV.

Æternas fore impiorum pœnas fide certum est.

Prob. Insignia sunt hæc Scripturæ verba: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum..... ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*. (*Matt.* 25. 46.) *Bonum tibi est*, inquit Christus, *ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus, aut duos pedes habentem mitti in ignem æternum*. (*Ibid. cap.* 18. *v.* 18.) .... *Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in ignem inextinguibilem, in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur*,

&

& ignis eorum non extinguitur. (*Marc.* 9. *vers.* 44. & 45.) Atqui terribilia hæc verba, in Scripturis toties repetita, *supplicium æternum*, *ignis æternus*, *ignis inextinguibilis*, pœnas aperte designant nullum finem habituras. Præterea illas sacrorum librorum comminationes, de duratione non tantum longissima, sed nunquam desitura, semper intellexit Ecclesia.

PROPOSITIO V.

Repugnare pœnarum æternitatem ab incredulis demonstrari nequaquam potest.

Prob. 1. Quia demonstrari non potest repugnare pœnarum æternitatem, quin demonstretur hujusmodi pœnam esse quocumque peccato graviorem: atqui illud probari non posse sic docet auctor operis, cui titulus: *Dictionaire philosophique de la Religion.*

Pour prouver que la punition excede le crime, il faudroit en connoître toute la malice, & tout ce qui en caractérise l'énormité, sans quoi l'on ne pourra jamais juger de sa proportion, ou disproportion avec la peine. Pour en connoître toute le malice & l'énormité, il faudroit voir clairement tous les secours, les moyens, les graces, les lumieres, que l'homme a eu pour l'éviter, ou pour le réparer; il faudroit connoître tout le prix de ces graces, qui ne sont autre chose que le fruit des mérites infinis, & du sang de l'Homme Dieu; il faudroit savoir tout ce qu'il y a dans le crime, d'ingratitude, d'obstination, de mépris des loix divines: or c'est ce qu'il est impossible à l'incredule de déterminer.

Cum igitur totam peccati gravitatem accurate æstimare non valeat ratio humana, nec etiam demonstrare potest, repugnare pœnarum æternitatem.

2.

2. Peccatores de quibus agitur, ita sunt animo comparati, ut in æternum vivere cupiant, quo possent in æternum peccare; siquidem ita sunt rebus sensibilibus dediti, ut in iis suam felicitatem, suumque finem ultimum constituant: atqui nunquam demonstrabitur repugnare ut in æternum peccandi desiderium pœnis puniatur.

3. Non repugnat tandiu durare pœnam, quandiu subsistet peccatum: atqui fieri potest, ut peccatum per totam æternitatem maneat non expiatum. Duplici enim tantum modo deleri potest, nimirum vel per gratuitam condonationem, vel per condignam peccatoris satisfactionem: atqui fieri potest 1. ut nunquam deleatur peccatum per gratuitam condonationem. Beneficium enim mere gratuitum potest nunquam concedi, ut ipsa verba satis indicant. 2. Contingere etiam potest, ut peccator nunquam Deo rependat condignam satisfactionem. Ad eam quippe requiritur gratia, quæ, cum donum sit prorsus gratuitum, potest non impertiri.

4. Quomodo demonstrabunt increduli, non potuisse summum legislatorem Deum decernere, quod maxime utile est, ne dicam necessarium, ad reprimendam peccandi & leges divinas infringendi libidinem? atqui ad eam coercendam plurimum valet pœnæ æternæ comminatio. Qui enim hujusmodi pœnam agnoscunt, non semper a malo deterrentur suis cupiditatibus pertracti; quanto igitur & frequentius peccarent & atrocius, nisi supplicii æterni metu, tanquam freno, retinerentur!

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Illa sententia repugnat, quæ divinam lædit justitiam: atqui sententia quæ pœnarum æternitatem defendit, divinam lædit, &c. ergo, &c.

Resp. Neg. min. Justitia enim in eo non læditur, quod puniat peccatum, quamdiu non expiatur:

tur: atqui peccatum mortale per totam æternitatem non expiabitur: siquidem hominem, post interitum, in eo statu constituit, in quo divinæ justitiæ numquàm poterit satisfacere. Nam caritatem in æternum extinguit, sine qua flecti non potest vindex Dei justitia. *Il est juste*, inquit Le François, *que le pécheur qui ne veut pas aimer Dieu, soit puni tant qu'il ne l'aimera pas: or il ne l'aimera jamais. Car sur quel fondement pourroit on supposer qu'un pécheur, qui ne veut point aimer Dieu en cette vie, recevra dans l'autre la grace de l'aimer?*

Instab. Illa sententia divinam lædit justitiam, qua posita, Deus non servaret proportionem inter pœnas & peccata: atqui in sententia, quæ pœnarum æternitatem defendit, Deus non servaret proportionem inter peccata, utpote momentanea, & pœnas, utpote æternas, ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Qua posita, Deus non servaret aliquam proportionem inter pœnas & peccata, conc. qua posita, Deus non servaret omnimodam proportionem inter pœnas & peccata, neg.

Revera postulat æquitas ut aliqua sit proportio inter pœnam & culpam, quatenus scilicet pro graviori peccato major pœna, minor vero pro leviori infligi debet; sed illud non intelligendum est de omnimoda proportione, quasi æstimanda esset ex durationis æqualitate; inde enim sequeretur vix ullam inter homines servari justitiam, cum pœnæ pro commissis sceleribus decernuntur a judicibus. Nam quotidie contingit, ut pro crimine, v. g. homicidio, quod brevissimo tempore fuit perpetratum, reus pœna capitis damnetur, qua in perpetuum ab humana societate aufertur. Inde etiam sequeretur crimina gravissima citius commissa, pœnis brevioribus esse plectenda; quod absurdum est.

Pœnarum igitur cum peccatis ratio non pensitanda est ex durationis æqualitate, bene vero ex criminis gravitate, vel etiam supplicii ad coer-

cen-

cendam leges infringendi libidinem, utilitate & necessitate; potuit ergo, citra injustitiam, Deus pœnas æternas gravibus peccatis imponere, præsertim si mercedem eadem ratione, qua pœnam, amplificet, hinc bonis præmium æternum, inde malis supplicium perpetuum denuntiando.

Objic. 2. Sapientiæ Dei repugnat pœnam inutilem reposcere: atqui pœna æterna est inutilis: siquidem damnatorum emendationi nihil prodesse potest; ergo, &c.

Resp. 1. Retorqueo argumentum: Sapientiæ Dei repugnat pœnam inutilem reposcere: atqui *annihilatio*, quam tantopere exoptant Deistæ, foret pœna inutilis; quem enim fructum ex ea percipere potest qui in nihilum redigitur? ergo, &c.

Resp. 2. Neg. min. 1. Enim pœnæ æternæ hominibus prosunt, non quidem ad corrigendos damnatos, verum ad aliorum emendationem; ut scilicet vel a peccato revocentur, vel ab eo præcaveant. Experientia enim constat plerosque homines ita esse comparatos, ut pœnas temporarias contemnant, earumque metu a crimine non satis deterreantur. Hominis nefarii, v. g. homicidæ violenta mors, ipsius emendationi nihil sane prodest: atqui tamen juste & sapienter a judicibus decernitur. In eorum quippe utilitatem cedit, qui hujusmodi exemplo commoti, a crimine abducuntur. 2. Per æternitatem pœnarum consulitur legum majestati, quarum longe frequentior esset violatio, nisi tanti mali formidine homines continerentur.

APPENDIX.

De Anima Belluina.

De animæ belluinæ natura duæ præsertim sunt opiniones ex adversa fronte pugnantes. Alii scilicet, duce Cartesio, negant belluis inesse substantiam spiritalem & incorpoream, voluntque

eas

eas mera esse automata, quorum operationes ex solis mechanicæ legibus, a Deo constitutis, pendeant; quas machinas ab aliis in eo tantum discrepare contendunt, quod multo perfectiores sint & delicatiores. Ita existimant Malebranchius, Arnaldus, auctor libri de Arte cogitandi, D. de Fenelon Cameracensis Archiepiscopus in eximia sua existentiæ Dei demonstratione, clarissimus Duguet, aliique insignes Philosophi. Non pauci vero, hisce præsertim temporibus, brutis animantibus tribuunt principium cognitionis & sensus capax. Qua de controversia sit

PROPOSITIO.

Nulla est in belluis anima spiritalis, cogitans & sentiens.

ARGUMENTUM I.

Hæc opinio rejicienda est, ex qua sequeretur Deum animas spiritales ad hominis arbitrium creare; atqui absurdum illud consectarium ex sententia quam impugnamus fluit. D. enim *du Tremblai*, sagacissimus profecto Physicus, insectum gallice dictum *polype*, duodecim in partes concidit, quæ deinde integri totidem polypi evaserunt. Eodem modo conformati erant ac primus, eosdem motus, easdemque functiones exequebantur. Animam primi collocabimus in parte anteriori ubi situm erat caput; at fateantur adversarii necesse est, Deum undecim animas spiritales procreasse, ut eas ceteris undecim partibus jungeret.

Si vermis terrenus duas in partes æquales dividatur, ambæ eodem modo progrediuntur ac vermis integer, foramina quæritant, ubi sese recondere possint; si quid obstaculi offendant, ad dextram vel sinistram sese detorquent; si pungantur, illico fugiunt. Testatur Auctor eximii operis,

ris, cui titulus, *Lettres à un Américain*, (8. *part.*) se vermem duas in partes fere æquales secuisse, & posteriorem, sive caudam, collocasse supra terræ humidæ superficiem, quæ in vase inclusa erat, partemque hanc 102. dierum vixisse. Ambæ partes sectæ in duas alias dividantur, tunc quatuor illæ particulæ adhuc progrediuntur, sed lentius. In adversariorum igitur opinione dicendum erit, Deum in iis partibus truncatis totidem animas recentes creasse, ita ut Deus eas pro secantis libitu procreet; quis autem sanus id crediderit?

ARGUMENTUM II.

Illud principium in belluis non est admittendum, quo non indigent ut moveantur, ut vivant, suæque conservationi consulant: atqui belluæ principio sentiente non indigent, ut &c. habent enim ex solis mechanicæ legibus vitæ motusque principium. Scilicet per objectorum in organa impressionem, per intimam organorum dispositionem, per arctissimam corporis belluini partium harmoniam, bruta vitales exercent functiones, quales sunt motus cordis & pulmonum, arteriarum pulsus, alimentorum digestio, sanguinis circuitus. Iisdem functionibus in homine ipso nihil confert anima, sive principium cogitans.

Præterea potuit Deus inter corpus ferinum & objecta externa eum instituere concentum, ex quo sequerentur in belluis motus ad machinæ conservationem accommodati. Ex eadem causa mechanica multæ prodeunt in homine actiones, quæ sine rationis imperio & moderatione, ad corporis defensionem præsto sunt. Ex. g. quisque, sive doctus, sive indoctus; sive juvenis, sive senex, quando per lubrica nutat, & lapsus imminet, corpus tunc subito librat, crux, brachia tendit, ignarus quid aut cur agat, sicque restituitur æquilibrium. Pariter, si quid teneros in oculos ex improviso involet, haud mora caput retrocedit,

ma-

manus suam opem prompta interponit, clauduntur palpebræ, & quidem priusquam id jusserit animus. Unde sic Racine:

Dans les dangers pressans le corps fait préceder
Notre âme, qui n'a pas le temps de commander.
Pour défendre mon œil qu'attaque la poussiere,
Un muscle sans mon ordre abaisse la paupiere.
L'enfant prêt à tomber, étend ses foibles bras,
Le geste involontaire a suivi son faux pas,
Et la main qui s'expose au coup inévitable,
Prépare pour le fronte un secours favorable.
D'ignorans porte-faix, pour soutenir leur poids,
D'un savant équilibre accomplissent les loix.

ARGUMENTUM III.

Ex immutabili in belluis vivendi & agendi tenore.

Si brutorum actionibus præesset insita quædam ipsius intelligentia, non eadem ubique iis foret agendi & vivendi ratio, non eadem & æquabilis laborum series, non iidem mores. Sic, quia inest hominibus substantia cognitionis & consilii capax, apud eos quanta est in vestibus, in victu, in construendis ædibus, in agris colendis, in consuetudinibus varietas! atqui brutis idem sibique constans est quodlibet in loco & tempore vivendi & agendi modus. Unumquodque sui generis normam indeflexum sequitur. Non aliter dulces favos, suaque mella conficit apis Attica, quam Sarmatica; non aliter lupus Afer in agnos sævit, quam Ausonius vel Persa; non aliter vulpes Indica pullis insidiatur, quam Gallica; semper visus est cuniculus subter effossam humum latitare; unus est hirundinibus mos nidum compingendi, argillam guttis e flumine haustis diluendi, & leves stipulas molli limo intexendi, &c.

ARGUMENTUM IV.

Ex nonnullis belluarum actionibus, quæ cum principio cognoscente nequeunt conciliari.

Sic omnis & semper canis, antequam humi jaceat, triplicem gyrum conficit, idem in lapide & duro marmore facere consuevit, quasi torum sic calcando emolliret. Felis in horto posticis pedibus scalpit humum, ut sua recondat stercora, nec curam hanc omittet, si cubiculum pavimento stratum fœdarit. Quid autem inutilius? Ubi ense pungitur equus, nedum mucroni se submoveat, in ferrum nititur, & corpus in vulnera trudit. Si quando stabulum ardeat, ille manet constans, nec foribus apertis exit, sed flamma & fumo suffocatur. Quid referam de stultis papilionibus, qui fatalem ad lychnum sponte convolant? inde si recedant semianimes, ad flammam ultro redeunt perituri, nec eos deterrent exusta fratrum cadavera. Porro si belluis insita esset quædam cognoscendi & sentiendi facultas, numquid ita se gererent?

ARGUMENTUM V.

Ideo brutis principium sentiens & cognoscens largiuntur adversarii, quia multa ab iis fieri conspiciuntur, quæ latentem in ipsis intelligentiam arguere videantur: atqui hæc ratio non satis firma est: si quid enim valeat, nonnullis etiam plantis tribuendum erit principium quoddam cogitans & sentiens.

1. Herba quæ a sensu nomen habet (*la sensitive*,) cum eam manu contrectas, indignari & nolle videtur, frondem quasi contactu violatam stringit. Si importunus instes, in seipsam ramos aversa contrahit, & prono capite in terram pro-

procumbit, donec tandem vim molestam ipsi inferre desieris. Huicne doloris vel pudoris sensum, animumque nostro similem dabis? nequaquam, sed organa tantum miris aptata modis. Unde fit ut succus in fibris & frondibus sparsus, vel minimo manus aut baculi appulsu, revocare gradum cogatur, venasque deserat exsangues. Ideo sese replicare folia & subsidere videntur.

2. Hederæ & vites prostantibus filis instructæ sunt, quorum ope debiles earum rami alieno fulcro firmiter adhærere queant. Alioqui raptare solo cogerentur, aura vitali destitutæ. Hoc malum quasi prævideant, si prope sit paries vel arbor, illuc statim digitos protendunt, & fulcrum amplexæ, illud tenacibus spiris involvunt: nec quæ semel corripuere dimittunt, donec ad summum cacumen assurgant. Numquid idcirco dicendum erit, suam hederæ, suamque viti mentem inesse?

3. Quercus non versus omnia indiscriminatim loca suas radices extendit: sed quemdam videtur delectum adhibere. Illas enim eo dirigit & promovet, ubi melior succus, & solum pinguius uberiora præbet alimenta. Arida prudens jejunaque loca declinat. Ilex ergo mentem sibi merito vindicabit, si externa quædam prudentiæ signa sufficiant, ut belluis tribuatur principium cognoscens & sentiens.

At, inquiens, plantæ non ambulant, non edunt vocem, non habent sensuum organa. Quid inde? quamvis solo affixæ, videntur tamen ramos, quo juvat, protendere; & quæ ipsis propria sit escam radicibus captare. Forsan odoratus, gustus, & tactus non sunt expertes: ea quippe faciunt, quæ sine illis sensibus a belluis fieri non posse putant adversarii. Dici etiam poterit mentem arboream a belluina non differre, nisi quia posterior majori perfectione pollet. Sic dicunt adversarii animam ferinam ab humana non distare, nisi inferiori perfectionis gradu.

AR-

ARGUMENTUM VI.

Nulla concipitur substantia spiritalis & cogitans, quæ intellectu & voluntate non polleat; utraque igitur hac facultate prædita erit anima belluarum, ac proinde in ea erit amor proprie dictus: voluntas enim & amor sunt unum & idem; porro substantia quælibet cognoscens, & amans tenetur Deum diligere. Id quippe jubet lex naturalis & immutabilis, qualis a Deo mentibus nostris insculpta est; diligendi ergo Dei officium ad belluas pertinebit; quod tamen negant adversarii. Præterea nonne a divina Sapientia prorsus alienum est, tantam animarum multitudinem creasse, quæ ita comparatæ sint, ut Dei beneficia sentiant, & divinum Benefactorem nec cognoscere, nec amare valeant; atqui summæ Dei sapientiæ injuriam hæc infert opinio quam refellimus.

ARGUMENTUM VII.

Animam spiritalem & cogitantem ita belluis tribuunt adversarii, ut eam negent immortalem esse & corpori superstitem. Quid autem id aliud est, quam evertere unum e præcipuis argumentis, quæ subministrat ratio ad probandam mentis humanæ immortalitatem; ita enim institui solet: illa substantia est immortalis, & corpori superstes mansura, quæ a corpore prorsus distincta est & diversa; quæ nullas habet partes, quarum dissolutione interire possit: atqui ita se habet mens humana; ergo, &c. Porro huic argumento vim omnem suam eripiunt adversarii, dum volunt animam belluarum, licet spiritalem, licet a corpore diversam, licet partium expertem, simul cum solo corpore esse interituram.

Quamvis igitur anima belluina sit qualibet materia longe nobilior & præstantior, quamvis nullum dissolutionis principium in se habeat, ipsi ta-

tamen imponitur conditio longe deterior. Misellula enim hæc anima, dissoluto, cui conjuncta erat, corpore, in nihilum est abitura; ipsius vero corpus alias quidem formas, aliam partium dispositionem induet; in nihilum autem nunquam est rediturum. Fatentur enim adversarii nullam materiæ partem a Deo in nihilum redigi. Quis vero Dei sapientiam in sorte tam inæquali agnoscat?

ARGUMENTUM VIII.

Illa sententia rejicienda est, ex qua sequeretur animam belluinam in plurimis esse mente humana præstantiorem: atqui illud consectarium effugere non potest quam profligamus opinio. Suam enim perfectionem & cogitationes sibi necessarias statim ab initio, & natura duce, assequuntur belluæ, sine documentis, sine magistro, sine tyrocinio; dum scientias & artes nonnisi magnis laboribus ediscunt homines. Id eleganter sic exponit Auctor operis, cui titulus: *de l'Ame des Bêtes*.

Les animaux savent naturellement tout ce que nous n'apprenons qu'avec beaucoup de peine; une araignée n'a besoin ni d'apprentissage, ni de lettres de maitrise, pour former une toile infiniment plus délicate que toutes les nôtres. Sans compas & sans élémens d'Euclide, elle se place au milieu du tissu qu'elle fait, & en tire, comme d'un centre, autant de lignes à la circonférence, qui sont comme autant de petits pieges qu'elle dresse aux moucherons.

Le chat, sans géométrie & sans compas, mesure fort bien qu'il y a moins de distance de la souris a son trou, que de lui à la souris.

Les hommes font-ils rien de mieux proportionné & de plus ingénieusement travaillé, que les ruche des abeilles, qui n'ont jamais appris ni architecture, ni fortification? .... Un agneau qui ne connoît ni Pline, ni les autres Naturali-

tistes, ne laisse pas de savoir que le loup est son ennemi, & qu'il ne cherche qu'à le devorer. Les chiens n'ont besoin ni de médecin ni d'apothicaire pour se purger. Les hirondelles & les autres oiseaux de passage, sans almanachs & sans éphémérides, connoissent mieux que nous les changemens des saisons & le cours des astres. (Cap. 13. pag. 159.)

Ex iis innumerisque aliis patet, si in brutis admittatur principium quoddam cognitionis capax, eorum animam in plurimis esse mente humana perfectiorem. Id autem homini quem *creavit Deus ad imaginem & similitudinem suam* (*Genes.* 1. 27.) quam injuriosum sit, nemo non intelligit. Nonne satius est cum Augustino dicere, nullam esse in belluis scientiam, nullam cognitionem proprie dictam, sed externam tantum illius speciem? *In sensibus irrationalium animantium, etsi scientia nullo modo, est certe quædam scientiæ similitudo.* (*Lib.* 11. *de Civit. Dei, cap.* 27. *n.* 2.)

ARGUMENTUM IX.

Ex summa Dei bonitate & justitia.

Si brutis animantibus inesset principium cogitans & sentiens, inde sequeretur ea innumeris obnoxia esse doloribus, & siti, fame, morbis, vulneribus durisque cruciatibus vexari, & quidem sine ulla melioris vitæ spe: belluarum enim animas simul cum corpore interire docent adversarii: atqui misera hæc brutorum conditio a summa Dei justitia & bonitate prorsus aliena est: sub Deo enim summe justo nullus malum patitur, nisi alicujus peccati sit reus: atqui belluas cujuslibet culpæ immunes esse, nemo est qui non fateatur; ergo nullo debent dolore affici; ergo, &c.

Quantam Deo injustitiæ & crudelitatis labem i-

inureret opinio; quæ belluis animam sentientem & doloribus obnoxiam attribuit, luculentis his versibus exponit Racine:

Sous l'empire d'un Dieu tout puissant, équitable,
L'innocent est heureux, & qui souffre est coupable.
Au bien de ses enfans un pere intéressé
Punit même à regrét quand il est offensé.
A s'armer de rigueur nous l'avons su contraindre;
Fils ingrats, fils pécheurs, est-ce à nous de nous plaindre?
Mais à nos châtimens les animaux unis,
Seroient donc à la fois innocens & punis?
En eux je vois la peine, & ne vois point le crime;
Et leur plainte seroit peut-être légitime,
Si connoissant leurs maux, ils élevoient ces cris;
Victimes du corroux, vils jouets du mépris,
Quelle est donc ta clémence, ou plutôt ta justice?
Pourquoi soumis à l'homme, objets de son caprice,
Sous son regne cruel vivons nous gémissans,
D'un maître criminel esclaves innocens?
Grand Dieu! prends-tu plaisir à voir des misérables,
Par grace, romps les fils de nos jours déplorables;
Tu nous les as donnés, retire ton présent,
Ou rends nous plus heureux, ou rends-nous au néant:

ARGUMENTUM X.

Ex omnipotentia divina.

Omnipotentia Deus immediate & per seipsum ea potest exequi, quæ in brutis operari nobis videtur interventu cujusdam intelligentiæ ipsis propriæ. Ipse enim prima & universalis est motuum omnium causa, qui in orbe existunt, & quorum creaturæ non sunt nisi instrumenta & occasiones.

Præterea plurimæ humana industria concinna-

tæ

tæ sunt machinæ, & quidem tanto artificio, ut prima fronte spirantes videantur & animatæ. In Diario Doctorum anni 1680. legitur, equum tam ingeniose constructum fuisse, ut die una per longam planitiem septem vel octo leucas confecerit. Ibidem (*an.* 1683.) narratur humanam statuam a peritissimo quodam artifice, qui Marochii (*Maroc*) in carcere detinebatur, arte mirabili fabricatam fuisse. E carcere dimissa ad Regis palatium recta contendit, & Principi, flexis genibus, libellum quem manu ferebat, obtulit; deinde ad carcerem per eamdem viam rediit. Alia etiam plurima referuntur ab auctoribus fide dignis automata, quales sunt serpentes sibilantes, columbæ volantes, aves cantantes, &c. Quis stupendas D. *de Vaucanson* machinas ignoret? Porro si eo pervenerit humana dexteritas, ut automata tam mirabilia fingeret, numquid non potuit summus rerum omnium artifex Deus machinas efficere, a quibus ea omnia perficerentur, quæ a belluis fieri observamus?

Porro si Deus ejusmodi machinas efficere potuit, eas fecisse multo prudentius censetur. Ista enim sententia summam Dei justitiam, bonitatem, sapientiam in tuto collocat; opposita vero divinas illas perfectiones maximum in discrimen adducit, ut patet ex modo dictis, & magis etiam apertum erit ex responsis ad objecta.

ARGUMENTUM XI.

Ex Scriptura sacra.

Belluarum animam in earum sanguine consistere in Scripturis non semel testatur Deus, ideoque ne illarum sanguine vescantur Judæi prohibet. *Cave*, inquit, *ne sanguinem comedas; sanguis enim eorum* (animalium) *pro anima est; & idcirco non debes animam comedere cum carnibus* (*Deut.* 12. 23.) *Homo quilibet de domo* Is-

Israel ..... si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo, quia anima carnis in sanguine est. (*Levit.* 17. 10. 11.) Omnem cognitionem proprie dictam a belluis excludit Scriptura: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Ps.* 31. 9.)

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Corpus belluinum iisdem ac corpus humanum, organis instructum est: atqui hæc organorum similitudo in belluis demonstrat principium cogitans & sentiens; alioquin ad quid inserviunt sensuum organa, v. g. oculi, aures, nares, &c. ergo, &c.

Resp. Neg. min. In organorum enim functionibus quædam sunt, quæ sine mente fieri queunt. In visu, v. gr. duo sunt accurate secernenda, 1. scilicet motus qui in corpore nostro excitari debent, ut quidam in anima sensus exoriatur: 2. ipsa visionis sensatio. Nihil quidem vetat in belluis admittere eos motus, quorum occasione in nobis visionis sensationem experimur; siquidem mere sunt mechanici: sed nihil ultra in brutis reperiuntur. Nec dixeris prorsus inutilem esse organorum supellectilem, si inde nihil cogitationis aut sensus in belluas derivetur: motus enim in organis excitati ad illud inserviunt, ut spiritus animales eo modo impellantur, qui ad corporis conservationem necessarius est. Si quis v. g. cani sese offerat minitabundus, fuste aliove instrumento simili armatus, tunc spiritus animales canis versus musculos affluunt, eosque ita disponunt, ut juxta mechanicæ leges a Deo institutas, canem in fugam vertant.

Huic quæstioni, cujusnam utilitatis in belluis sint organa, si omni sensu careant, ita respondet *D. Joannes* in opere, cui titulus: *les Bêtes mieux connues.*

Je

Je comparerois volontier cette question à celle qu' auroit faite à M. de Vaucason un spectateur de ses automates; pourquoi il a muni son flûteur de doigts mobiles, de fils qui y répondent, de léviers qui les tirent, de poids qui pressent, &c. puisque son automate n' a pas le sentiment des mouvemens qu' il exécute. Eh! c' est précisément pour que cet automate puisse les exécuter, quoique dépourvu de sentiment; parce que sans cette imitation des articulations, des nerfs & des muscles du corps humain, ces mouvemens n' auroient point lieu. (Tim. 1. pag. 175.)

Objic. 2. Si belluæ omnis cogitationis essent expertes, Deus nos falleret, sicut nos deciperet, si hominibus quos alloquimur nullum inesset principium cogitans: atqui Deus nos fallere non potest; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. 1. Enim Deus in Scripturis nos admonet belluarum animam in earum sanguine constitutam esse: contra vero sexcentis in locis hominem exhibet, ut corpore & anima constantem, quæ cognoscendi, amandi, bene vel male agendi facultatem habeat.

2. Multæ rationes, quas supra exposuimus, probant in brutis nihil esse præter materiam certo modo dispositam. Quæ rationes in hominibus quos alloquimur locum non habent. Non magis enim mihi constat existere figuras humanas, quam eas principio intelligente, quale mihi inesse conscius sum, esse præditas. Sæpe enim expertus sum eas mihi optima dare consilia & documenta, & quæ mihi eventura erant prædixisse. Si quam ex iis figuris interrogaverim, eam aliquandiu meditantem silere video, deinde mihi dare responsum, solvendæ questioni maxime accommodatum. Easdem autem actiones in me ex vera mente prodire intime certus sum. In belluis vero nihil simile deprehenditur; ergo ex eo quod Deus nos falleret, si homines quibuscum vivimus, omni cognitione & sensu forent destituti, con-

concludi minime potest, nos a Deo esse decipiendos, si belluæ principio cogitantes careant.

Inst. Ideo nos falleret Deus, si in hominibus quos alloquimur nulla esset cognitio, nullus sensus, quia in iis eadem quæ in nobis deprehendimus cognitionis sensusque signa; atqui pariter in belluis actiones observamus, quæ in nobis cum interiori sensu & cogitatione sunt conjunctæ. Sic dolorem per gemitus & lamenta, gaudium per jucundas acclamationes, timorem per fugam præcipitem significant; ergo, &c.

Res. 1. Nimis probat istud argumentum. Inde enim sequeretur in brutis admittendam esse vim ratiocinandi: ab iis quippe multa fieri videmus, quæ ab hominibus sine ratiocinio non efficiuntur. Si v. g. cani per apertos campos currenti ex improviso fovea quædam occurrat, quam primo impetu superare nequeat, subito gradum sistit; deinde retrocedens, tantum spatii relinquit, quantum satis est, ut rediens & viribus auctis, fossam valeat celeri saltu transilire. Idem factitare solent homines, at non sine ratiocinio. Pariter quidquid de provida formicarum cura, de canum, elephantum & simiarum industria narratur, in nobis adjunctam habet ratiocinationem: atqui tamen negant adversarii belluis inesse ratiocinandi facultatem; ergo nimis probat objectum argumentum.

Resp. 2. Dist. min. Sed alia in belluis animadvertimus, quæ eas cognitionis expertes esse probant, conc. min. secus, neg.

Multas quidem in belluis actiones deprehendimus, quæ in hominibus cognitionem habent adjunctam; sed plura in iisdem observantur, quæ ab iis omnem excludunt cognitionem, ut patet ex supra dictis: si cognoscendi facultate pollerent, nonne ab usu, experientia, & parentum documentis didicissent ab aeris injuria & hominum insidiis sese defendere? Nonne quoad vivendi & agendi normam, plurimum esset discriminis inter

ter hujus temporis & superiorum sæculorum belluas? quæ humanam imitantur loquelam, nonne ita institui possent, ut vocum significationem intelligerent, & variis quæstionibus apte responderent? Ex hominibus enim vel maxime stupidis, nullus est qui verba ita disponere non queat, ut suas aliis cogitationes aperiat. Bruta vero quibus desunt organa, proferendis vocibus articulatis idonea, nonne signa quædam excogitassent, quibus nobis suas notiones manifestarent, ut facere solent homines ab ortu surdi & muti? in belluis vero nihil simile unquam deprehensum fuit; quod profecto non leve est argumentum, belluarum actiones nihil aliud esse, quam machinarum effectus, quas sapientissimus naturæ auctor mirabili quodam artificio movet ac dirigit.

Objic. 3. Hæc opinio rejicienda est, qua posita, explicari nequeunt belluarum actiones: atqui in opinione, quæ bruta ut meras machinas exhibet, explicari non possunt ipsorum actiones; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Qua posita, explicari, ne quidem universim, possunt belluarum actiones, conc. maj. si assignari nequeant singulæ partes & singuli motus, quibus illæ actiones perficiuntur, neg. maj. dist. parit. min.

Non diffitemur quidem in opinione quam defendimus assignari non posse singula, ex quibus pendent belluarum operationes, instrumenta. Quis enim cujuscumque organi structuram & destinationem noverit? Quis singulas corporis bellui partes, earumque tum ad se invicem, tum ad objecta externa relationes compertas habeat? sed universim explicari possunt brutorum opera, quatenus scilicet ea repetenda esse dicimus a certis motuum legibus ab auctore naturæ institutis. Ita generatim plerique norunt, ab horologio indicari horas, non quod ipsi inhæreat principium intelligens; sed quia ad eum effectum conspirant occultæ quædam machinæ, nimirum rotæ & aliæ

partes, quamvis speciatim earum fabricam, dispositionem & usum non perspiciant.

Præterea male sibi blandiuntur adversarii, si in explicandis animalium operibus feliciores sese existiment. Belluis quidem animam concedunt, quæ intelligat & sentiat; verum ab ea tum libertatem, tum ratiocinandi vim excludunt: belluarum tamen actiones, si externis, ut volunt adversarii, indiciis æstimentur, non pauciora libertatis & ratiocinationis, quam intelligentiæ signa exhibent.

Objic. 4. cum belluinæ animæ Gallico defensore: *Ce principe que sous un Dieu juste, on ne peut être miserable sans l'avoir mérité, n'est fait que pour les créatures raisonnables, on ne sauroit en faire qu'à elles seules l'application juste. L'idée de justice, celle de mérite & de démerite supposent qu'il est question d'un agent libre, & de la conduite de Dieu à l'égard de cet agent... La maxime en question n'a donc aucun rapport avec l'âme des bêtes. Cette âme est capable de sentiment: mais elle ne l'est ni de raison, ni de liberté, ni de vice, ni de vertu..... elle n'est capable d'aucune action moralement bonne ou mauvaise. Comme chez elle le plaisir ne peut être récompensé, la douleur n'y peut être châtiment.* (*Diction. Encyclop.*)

Resp. 1. ab adversariis non solvi difficultatem, sed potius confirmari. Ibi enim confitentur belluas variis malis affligi; sed negant dolores quos patiuntur in iis pœnæ (*de châtiment*) rationem habere. Quid autem id aliud est, quam concedere belluas, quamvis innocentes, quamvis immeritas, doloribus conflictari: porro illud ipsissimum est, quod a bonitate & justitia Dei alienum esse clamat ratio naturalis. Difficultatem igitur inde petitam, quod sub Deo miser esse quisquam, nisi mereatur, non possit, ne quidem perstringunt adversarii.

Resp. 2. Eos secum pugnare, dum libertatem vim-

vimque ratiocinandi belluis denegant. Undenam colligunt iis inesse principium cogitans & sentiens? Nonne ex ipsarum operationibus? atqui pluriınæ brutorum actiones pariter externa, quædam libertatis & ratiocinationis indicia præ se ferunt. Ex innumeris paucas seligimus.

1. Canis perdicem a venatore interfectam comedit, ideoque egregie cæditur. Postera die alteram perdicem occidit venator, in eam statim irruit canis, & intactam prudens ad herum suum defert, quamvis illius edendæ sit cupidissimus. Ipsius autem anima suos in appetitus maximum habeat imperium necesse est, ut naturalem suam propensionem contineat. Cur autem a comedenda perdice sapiens abstinet? Nonne ita ratiocinari videtur? *Hesterna die, ob devoratam volucrem, insigniter vapulavi; non minus hodie vapulabo, si edendæ hujus perdicis cupiditati indulgeam; satius ergo est ea delectatione me fraudare, quam certis verberibus me exponere.*

2. Felis soricem exploratura in angulo latet, ad terramque se apprimit (*se tapit*) ne videatur. Cur autem in hoc, potius quam in illo angulo excubias agit? Nonne ex propria liberaque, ut videtur, voluntate? Tandem e suo cavo exit musculus; at felis callida in eum non insilit, quandiu iste cavo propior est; vividæ resistit impressioni, quam in ea excitat soricis aspectus. Immota stat, suorumque motuum veluti domina expectat, donec musculus e suo cavo satis distet, ut eum corripere possit, antequam suum ad cubile redeat.

3. Canis aliquam carnem mensæ satis altæ impositam arripere cupiens, in eam uno saltu non insilit; quod forte ipsi ex sententia non succederet. Verum in seipso quasi reputans, quanam via tutius possit finem suum assequi, si prope videat sellam (*une chaise*) in eam conscendit, & inde in mensam. Cur vero in istam uno saltu (*d'un plein saut*) non prosilit, licet hæc via bre-

brevior sit & compendiosior? Cur mediam adhibet sellam? Nonne utramque viam simul comparasse videtur, & omnibus pensitatis, unam præ altera eligere, tanquam magis idoneam & tutiorem?

4. Si canis leporem aliamve feram odore ductus insequatur, ad triviumque deveniat, quid agit? Primam statim & secundam viam olfaciendo feræ vestigia scrutatur. Ubi per eas leporem non transisse exploravit, tertiam quæ una superest, illico nullaque præmissa indagatione, arripit & feram prosequitur. Eum sic ratiocinari juraveris: *Lepus unam ex tribus his viis iniit: atqui neque primam, neque secundam instituit, ut odoratu mihi compertum fuit; ergo per tertiam transierit necesse est.*

Porro si hujusmodi actiones probent, ut volunt adversarii, belluis inesse animam cognoscentem, & sentientem, nonne pariter in iis demonstrarent eligendi, ratiocinandi, ac proinde bene vel male agendi, facultatem? Eam igitur belluis denegare non possunt, si constare sibi velint. Cur ergo tam confidenter asserunt nullam esse in belluis libertatem, nullam ratiocinandi vim, nullum opus moraliter bonum vel malum?

Instab. 1. cum eodem: *Qu' emporte donc la juste idée d' un Dieu bon? c' est .... qu' il n' y ait aucune créature sortie de ses mains, qui ne gagne à exister, plutót que d' y perdre. Or telle est la condition des bêtes. Qui pourroit pénétrer leur intérieur, y trouveroit une compensation de douleur & de plaisir, qui tourneroit à la gloire de la bonté divine.* (*ibid.*)

Resp. Nequicquam desudant adversarii, ut difficultatem summa Dei bonitate & justitia petitam dissolvant. Quid enim sibi volunt ista verba? *Qui pourroit pénétrer leur intérieur, y trouveroit une compensation de doleur & de plaisir.* Nonne significant compensationem hanc certam fieri non posse, nisi animæ belluinæ interiora habea-

beamus explorata? Numquid vero ita perspicaces sunt adversarii, ut intima & secreta mentis ferinæ penetralia rimati fuerint? Cur ergo tam confidenter pronuntiant in brutis mala bonis accurate compensari?

Præterea, ut nonnulli homines, ita & belluæ quædam, propter vitiosam corporis conformationem, ab ortu ad obitum usque perpetuis ferè morbis & doloribus conflictantur. Multa sunt etiam jumenta, quæ continuis vexata laboribus, assiduis cæsa verberibus, tenui pabulo vix sustentata, miserabilem vitam morte crudelissima finiunt. Ubi ergo erit ea quam tantopere venditant adversarii bonorum & malorum compensatio? Numquid eam reperias in cane, cujus corpus vivens dissecat, visceraque & intestina ferro scrutatur Anatomicus, & cujus deplorandam conditionem ita describit Racine?

Mais aux lentes douleurs ce Dogue dévoué,
Qui sur un échafaud indignement cloué,
Aux cruels écoliers victime anatomique,
Va de son corps ouvert montrer la mécanique;
Qui le consolera, lorsque tant de bourreaux
Contemplent avec joie, en suivant leurs ciseaux,
Les mouvemens d' un cœur d' où la rage s' exhale,
Des intestins fumans le tourteux dédale?

Denique ab adversariorum responsione sequeretur Deum, illæsa bonitate & justitia, posse creaturam innocentem acerbissimis cruciatibus devovere, modo tot mala paribus bonis compenset. Quis vero istam agendi rationem Deo summe bono prorsus indignam esse non sentiat?

Inst. 2. cum eodem: *Ne nous imaginons pas que les souffrances des bêtes ressemblent aux nôtres. Les bêtes ignorent un grand nombre de nos maux .... ne jouissant pas des plaisir que la raison procure, elles n' en éprouvent pas les peines. D' ailleurs, la perception des bêtes étant renfer-*

mée

mée dans le point indivisible du présent, elles souffrent beaucoup moins que nous par les douleurs du même genre ; parce que l'impatience & la crainte de l'avenir n'aigrissent point leurs maux, & qu'heureusement pour elles, il leur manque une raison ingénieuse à se les grossir (*Ibid.*).

Resp. Rationem belluis auferre adversarii nequeunt, si principiis suis stare velint, ut modo probatum fuit. Inmerito etiam dicunt brutorum animas futurorum metu non exagitari, quia illorum perceptio intra individuum temporis præsentis punctum continetur, nec ultra excurrit. Externis enim belluarum operationibus ducti, vel potius delusi, ipsis insitum volunt principium cognoscens & sentiens: eamdem igitur ob causam existimare debent, belluarum perceptionem intra præsentis temporis angustias non coerceri: multa enim ab iis fiunt, quæ mentem futuri præsagam indicare videantur. Sic aves v. g. prolis modo nasciture quasi consciæ, ipsi nidos prudenter parant, & quidem satis capaces, ut pullos, quorum numerum veluti præsentiunt, contineant. Hujusmodi cunas levi plumula insternunt, ut tenella pullorum membra mollius conquiescant.

Plurimæ belluæ, quales sunt apes, formicæ, per æstatem assiduis indulgent laboribus, ut bene providæ cibos suis in sedibus congerant, quibus per hiemem vescantur. Non pauca etiam bruta constanter in excubiis stant, ut prædam expectent quam venturam quasi prævident. Vel igitur ipsam cognoscendi & sentiendi facultatem belluis denegent adversarii, meraque esse automata & machinas fateantur; vel in ipsis etiam admittant mentem futurorum præsciam.

Denique suo in responso fatentur, belluas doloribus affici, licet minus quam homines: id vero cum Dei summe boni & justi notione conciliari non potest.

Finis Metaphysicæ.







